



...um quem diligebat
...tem. qui recubuit in ...
pectus ... ter' Dmel' au...
ista misticū sensum ī petro
actualis uita ī iohanne cōtēp
latiua significat in utroque autem
pns presentem et futura. ut memi
nerimus in hoc corruptibili
corpore quod aggrauat aīam. ui
tam miseram uiuere. Ideo quia
iam recepti per mediatorem suum
et per ipsum spiritum pignus accepimus
beatam uitam in spe habeamus et
si re ipsa nondum teneamus: R.
Ecce puer meus quem elegi dicit dominus
electus meus complacuit sibi in illo anime me
e V. Iste est iohannes cui xpistus in cruce matrem
uirginem uirgini commendauit. Complacuit
Duas itaque uitas s diuini
tus predicatas et commenda
tas. nouit ecclesia quarum est una ī
fide altera in specie. una in tempore
peregrinationis. altera in eternitate
mansionis. una in labore. altera
in requie. una in uia. altera ...

quoniam ...
amplius ceteris dilexit ...
uirgo electus ab ipso ui...
In cruce denique ...
...em uirgini commend...
Una uita cum...
pugnat. a...
ste regnat. Una ...
nes frenat. altera ...
lectacionibus uac...
...latur in...
latur in bonis: alt...
tudine gratie. caret...
ut sine ulla tempt...
bit. cohereat sum...
bona et mala di...
sola que bona sun...
una bona est. se...
fera. altera melior...
gnificata est...

·ERASMI·

ROTERODAMI PA-
rabolarum, siue Simili-
um Liber.

ERASMVS ROTERODAMVS Petro Aegidio Celebratissimæ ciuitatis Antuuerpiensis a libellis. S. D.

VVlgare quidem & Crassum istud amicorũ genus Petre amicorũ Candidissime, quorũ ut omnis uitę, ita necessitudinis quoq; ratio in corporibus sita est, Si quãdo procul seiunctos agere contigerit, anulos, pugiunculos, pileolos, atq; alia id genus Symbola crebro solẽt inuicem missitare, Videlicet, ne uel cõsuetudinis intermis=sione languescat beneuolentia, uel longa tempo=rum, ac locorũ intercapedine prorsus emoriatur. Nos uero quibus animorũ coniunctione, socie=tateq; studiorũ omnis amicitiæ ratio constat, cur non potius animi Xeniolis, & literatis Symbolis identidem alter alterũ salutemus? Non quod ul=lum sit periculum, ne propter interruptam uitæ consuetudinẽ, frigus aliquod obrepat. Neue tan=tis regionũ interuallis semota corpora, copulam, ac nexum soluant animorũ, Qui uel hoc arctius sibi conglutinari solent, quo uastioribus spatijs illa fuerint dirempta. Verum, ut si quid ex amici=tiæ fructu detrahere uideaẽ absentia, id huiusmo=di pignoribus literarijs, non sine fœnore sarcia=mus. Proinde nihil quidem vulgarium Xenio=rum ad amicũ adeo nõ vulgarem, sed plurimas in uno libello gemmas mitto. Cur enim non sic appellem

appellem has ὁμοιώσεις, ex opulentissimo summorum authorū mundo selectas? Nuper enim dum Aristotelem, Plinium, ac Plutarchum locupletandis Adagiorum Chiliadibus relego. Dum Anneum Senecā a mendis, quibus ille non contamīatus erat, sed prorsus extinctus, repurgo, has obiter annotaui tibi, munusculū haud quaq̄ ingratum, futuras. Sic enim augurabar, quod & te perspicerem ad orationis elegantiā natura compositū esse, & intelligerem non nitorē modo, sed uniuersam prope sermonis dignitatē a metaphoris proficisci. Nihil autē aliud est παραβολὴ, quā Cicero collationē uocat, q̄ explicata metaphora. Cęterorum ornamentorū singula suam quandā, ac peculiarem adferunt gratiam, et cōmoditatem dictioni, metaphora sola cumulatius præstat uniuersa, q̄ exornationes reliquæ singula. Delectare uis? nulla plus habet festiuitatis. Docere studes? Non alia probat, uel efficacius, uel apertius. Flectere paras? nulla plus addit acrimoniæ. Studes copiæ? nusq̄ supellex locupletior. Placet Laconismus? nulla plus cogitationi relinquit. Sublimitatem affectas? Hæc quiduis quātumuis attollit. Est quod uelis extenuare? nulla magis deĳcit. ἐνάργειαν captas ac lucem? nulla melius rem ob oculos ponit. Hac fere condūtur Adagia, huic gratiā suam debent apologi, hæc cōmendat apophthegmata, huius accessione conduplicatur sententiæ

dos. Adeo, ut Salomon ille uir diuinus oracula sua, non alio magis quam parabolarum titulo, uolu-erit cõmendari. Tolle metaphorae supellectilem ex oratoribus, ieiuna erunt omnia. Tolle parabolas e propheticis, & euangelicis literis, magnam gratiae partẽ detraxeris. At fortasse dicet aliquis. Belle hic munus suũ ornat uerbis, quasi uero magni sit negotij similitudines nusquam non obuias adducere. Verum nos non passim obuias sumpsimus, nec lapillos in littore sparsos collegimus, sed exquisitas aliquod gẽmas ex abstrusis Musarum thesauris deprompsimus. Neque enim haec a tonstrinis, aut sordidis fori conciliabulis petũtur, quae doctorum aures & oculos morentur. Ab intimis naturae arcanis, e penitissimis disciplinarũ adytis sunt eruenda, ab eloquentiũ poetarum eruditis fabulis, a nobilium historicorũ monumentis. Qua quidem in re, ut duplex est difficultas, ita gemina laus debetur. Primũ illud ipsum non nihil est peruestigasse, quod sit egregiũ. Neque uero minus est, quod deprehenderis, id concinniter accõmodare. Quemadmodũ est aliquid primũ insignem repperisse gemmã, deinde nonnulla laus est, repertam apte sceptris, aut annulis addidisse. Addam exemplũ, quo res fiat dilucidior. Cicuta uenenũ est homini, uinum cicutae. Quod si cicutae uinum admisceas, iam uenenũ multo praesentius & prorsus immedicabile reddis. Propterea

quod

quod uis & impetus uini, ueneni noxam citius ad uitalia membra perferat. Iam hoc ipſum, rem naturæ tam abſtruſam tenere, nonne pars eſt eruditionis, nec inelegans, nec iniucunda? Age iam, ſi quis ad hunc uſum accommodet, ut dicat, Adulationem amicitiæ præſentaneum eſſe uenenum, uerum ei rurſum ueneno uenenum eſſe; libertatem admonendi, quam Græci uocant παῤῥησίαν Quod ſi libertatem prius inficias, & ita commiſceas cum adulatione, ut tum maxime aduleris amico, cum maxime uideris obiurgare, Iam immedicabile malum eſſe. Nullaue hic ingenij laus eſſe uidebitur? Non mediocris opinor. Neq; uelim tamē aucupari gratiam ubi nihil promerear. Quibus hic titulus præfertur. Ex Ariſtotele, Plinioq;, in his mea eſt collationis inuentio. Porro quæ ex Plutarcho, Senecaq; deſumpta teſtat̃ inſcriptio, in his nihil mihi uindico præter colligendi explicandiq; laborem, & ſi quid laudis meretur cōmoda breuitas. Neq; uero clam eſt, quantum ſimilium pelagus poſſit e rerum omniū naturis, e tot diſciplinis, tot poetis, e tot hiſtoriographis, e tot oratoribus aggregari. Verum quę dementia ſit, quod infinitum ſit, uelle perſequi? Guſtum dumtaxat dare uolumus, ut ingenia iuuenum ad his ſimilia conquirenda excitaremus. E Plutarcho complura recenſuimus, partim quod is author Græcus eſt, partim quod in hoc genere

 ſic excel-

ſic excellit,ut cum hoc nemo uel eloquentiſſimo-
rum iure conferri queat. E Seneca, quoniam
in eo tum aliud agentes uerſabamur, non
ita multa decerpſimus. Non alienum
fuerit hunc libellum adagijs, aut ſi
mauis, Copiæ commentarijs, ceu
coronidem adiungere, quod
cum illis plurimum habeant
affinitatis,& ad hanc uel in
primis faciant. Epithala-
mium tuum,quo mi-
nus & abſolutum
ſit & æditum,fa-
mulus meus
in cauſa fu
it,q Lo-
uanij
me
quidem
imprudente
reliquit exem-
plum. Bene uale,
Baſileæ. Añ.a Chri
ſto nato .M. .D.
XIIII. Idibus Octobrijs.

PARABOLAE

PARABOLAE, SIVE SIMILIA Eraſmi Roterodami, ex Plutarchi moralibus.

QVi adhortantur, & excitant ad philoſophiam, nec docent, nec tradunt eam. perinde faciunt, ut ij qui præmuniũt lucernam, nec infundunt oleum.

Vt quibus domi nihil eſt boni, in foro plerunq; uerſantur, & obambulant. Sic quidam, quia nihil habeant, quod priuatim agant, ad publica adminiſtranda conferunt ſeſe.

Vt qui animi cauſa nauim ingreditur, ut ſpectet, aut in ea inambulet, Deinde repente ſoluta, atq; in altum reuulſa, nauſeans, ac uomens fruſtra foras proſpectat. Sic qui leuiter, & quaſi luſus gratia attingunt rempublicam, ſed a ſemel ſuſcepta non poſſunt ſeſe explicare, negotiorum undis ſecum hominem & inuitũ trahentibus.

Vt qui perſonatus in theatrũ procedit hiſtrio. Sic qui ad remp. adminiſtrandã accedit, non ut ciuibus proſit, ſed ſibi gloriam comparet.

Qui ſenſim ac uolentes deſcendũt in puteum, nihil lædunt. Qui caſu incidunt, ualde turbantur. Sic qui certo conſilio accedũt ad remp. moderate ferunt, Qui ſeſe temere inijciunt, eos pœnitet.

Vt uinum primum ſeruit, ac paret bibenti. At

paulatim admixtum uenis, rapit hoīem, ac tra-
ducit in ſuos mores. Ita qui rempublicam admi-
niſtrat, initio ſe populi moribus accōmodat, poſt
ſenſim eum ad ſua trahit inſtituta.

Qui captat aues, earum uoces imitatur, ut alli-
ciat in laqueos. Sic ut multitudinem in tuam ad-
ducas ſententiam, illius ingenio obſecundes, &
obſeruias oportet.

In facie plus offendit neuus, aut uerrucula, q̃
in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatri-
ces. Sic exigua delicta magna uidentur in princi-
pe, cuius uita in conſpicuo eſt.

Vt mulieres laborātes citta, aut ſtomacho nau
ſeantes, malos quoſdam cibos ingerunt, ac paulo
poſt reuomunt. Sic populus per ſtultitiam, aut in
opiam meliorum, quoſuis etiam creat magiſtra-
tus, ac eoſdem paulopoſt abijcit.

Vt optimum uinum ſi in uas ſordidum, & im
purum infuſum ſit, perdit gratiam. Ita bona ſen-
tentia, ſi a malo uiro proficiſcatur, aut ſi doctrina
in malum uirum inciderit.

Vt non ſatis eſt clauus, neq; frenum, niſi adſit,
qui arte moderetur. Ita non ſufficit eloquentia ad
moderandum populum, niſi acceſſerit ſermonis
moderatrix ratio.

Qui nauē gubernāt, aliena uoce, iuſſuq; utun-
tur. Sed qui remp. gubernant, in ſeipſis ſapientiā
habeant, oportet, ut non ſit opus aliena uoce.

Vt qui

Vt qui obtuſo freno conatur equum domare, excutitur, equo contemnente frenum. Sic qui po pulum uincere conatur, non ſatis inſtructus po= tentia, ab imperio deturbatur.

Qui plebem, ludis, epulis, largitionibus regũt. Similes ſunt ijs, qui bruta animalia paſcunt, aut uenantur.

Muſici leui chordarum tactu demulcent, non graui pulſu. Sic oratio placida, citius q̃ aſpera mouet populum.

Vt longiore uia potius utendum eſt, ſi modo ſit tutior, q̃ breuiore & periculoſa. Sic ad opes, ad gloriam enitendum, ut ſerius contingant tuto potius, q̃ ſtatim cum periculo.

Vt ignis non reddit fumũ ſi ſtatim emicet flam ma. Sic nec gl'ia eſt obnoxia inuidiæ, ſi ꝓtinus elu ceſcat, ſed eos q paulatim creſcũt, ſequit̃ inuidia.

Vt hædera adhęrens arborum ramis, ope alie na in altum erigitur. Sic obſcuri, conſuetudine potentium creſcunt. deinde præfocant eos a qui= bus ſunt euecti in altum.

Quædam corpora lumen ſolis exceptum ſuo fulgore uiciſſim augent, atq; illuſtrãt. Ita quidam aliorum fauore commendati, uiciſſim ſuis doti= bus eos commendant.

Non quæuis arbor patitur complectentem ſe uitem, ſed quædã profocant eam, & extinguunt. Ita ambitioſi quidam, iuuenes ob inuidiam pre=

munt,ne quando emergant.

Gubernator optimos quærit nautas. Architectos, doctissimos quærit ministros. Ita princeps eos asciscet amicos, qui ad rempublicam administrandam maxime sint idonei.

Musicus chordas dissonantes, non statim abijcit, atque incidit, sed sensim intendens, aut remittẽs, ad concentum adducit. Ita princeps leniter debet emendare peccantes, non protinus tollere.

Iaculum, si in solidum aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur. Ita conuitium, in fortem, & constantem uirum tortum, recidit in conuitium facientem.

Vt rex mundi magna curat, parua relinquens fortunę, Quẽadmodũ dicit Euripides. Ita pnceps nõnisi in grauibus, & arduis negotijs exercebit.

Alexander Bucephalum iam senem, ab alijs equis gestandum curare solet, donec ad hostem uentum esset, ut integer ad pugnam ueniret. Ita senum magistratuum utendum opera, ut eis adimatur quantum potest laboris, ad necessitatem usus illorum reseruetur.

Gubernator quædam suis manibus facit, quædam per alios, & aliquando alijs ad clauum admissis, ipse in proram demigrat. Sic in republica non debet unus occupare omnia munia, sed alijs uicissim dare locum. Rectius enim fieri, quæ multorum manibus peragantur.

Histrio,

Histrio, sic affectus ac mores, addet fabulæ de suo, ut præscriptum tamen, & numeros non prætereat. Ita qui magistratum gerit, sic administret, ut præscriptum regis non exeat.

Non est infirmior manus, q̊d in digitos sit dissecta, sed ad operandū agilior. Ita negotia multis cōmunicata in republica, plenius conficiunt.

Vt qui non consueuerūt neq; cœnare, neq; lauare, nisi ex præscripto medici, ij nec sanitate fruuntur. Sic quia omnia ad principis iudiciū refert, reddit eos dños plusq̄ uellet ciuitas, ut nihil iam nec recte fieri possit, nisi principis arbitrio.

Medici morbos quos non possunt prorsus tollere, ad summa corporis in apertum euocant. Sic magistratus, si clam ciuitatis uitijs mederi non potest, ut q̄ minime medicis ac pharmacis, hoc est supplicijs egeat.

Medicus multo educto sanguine corrupto, paulum innoxij cibi ministrat. Sic princeps sublatis multis malis, ac nocentibus, leui gratia, & humanitate molestiam eam mitigabit.

Vt qui præternauigatis syrtibus, iuxta portum frangit nauem, nihil magnifecit. Ita qui uno, atq; altero magistratu recte gesto, in summo naufragium facit.

Vt Colossi seu statuæ male libratæ, sæpius subuertuntur. Ita nimis honor, per inuidiam euertit multos.

Ex alueæ

Diſſimile

Ex alueariū ſtrepitu, ac tumultu colligunt apes recte ualere. Contra ex quiete rempublicam.

Ex feſtuca incenſa, aut lucerna neglecta domi, nonnunq̃ conflagrat urbs tota. Sic ex priuatis odijs, ac diſſidijs, publica pernicies oritur.

Aer qui ineſt auribus, niſi tranquillus ſit, & carens ꝓpria uoce, ſed tinnitu fuerit, ac tumultu plenus, non exacte recipit ea quę dicunt. Sic ea pars, quę phiæ dicta iudicat, ſi qd intˀobſtrepat, & obtinnat, nō recte iudicabit, quæ foris accipiunt.

Diſſimile

Morbi corporis pulſu, & colore deprehenduntur, eorumq̃ aduentum calor, & laſſitudo prænuntiant. At animi morbos, pleriq̃ non intelligunt eſſe morbos.

Vt eſt initium ſanitatis, ſenſus morbi, Ita correctionis initium, agnoſcere culpam.

Vt difficillime ſanantur, qui ſui ſenſu carent in morbo. Velut lethargici, ac phrenetici. Ita difficillime reuocantur ad bonam mentem, qui non agnoſcunt ſua uitia.

Vt periculoſior eſt tempeſtas, quæ non ſinit in portum appellere, quam quæ uetat nauigare. Ita grauiores animi motus, qui non ſinūt hominem conſiſtere ratione perturbata, ſed præcipitem auferunt in tempeſtates.

Diſſimile

Qui corporis morbo laborant, quieti ſe tradunt, medicum accerſunt, abſtinēt. Sed qui ægrotant animo, quo grauius ægrotant, hoc magis abhor-

abhorrent a quiete, & a medico.

Vt ex igni & terra ueluti necessarijs, compositus est mūdus. iuxta Platonem, terra soliditatem conferente, igni calorem ac formam. Ita magna imperia non parantur, nisi misceatur cum fortuna uirtus, & altera alteri sit auxilio.

Vt mundus non erat mundus, minutioribus corporibus adhuc sparsim uolantibus, & elabentibus. Solidioribus uero inter se depugnantibus, sed tempestatis, erroris, tumultus plena erant oīa. Donec terra ex his accepta magnitudine, seipām figeret, alijsq; in se stabilē præberet sedē. Sic magna imperia plena tumultus, donec aucta potentia, etiā finitimis regibus stabilitatē præstat, ut terras cæteris elemētis circumferentibus sese.

Vt nauis multis ictibus compingitur, clauis, paxillis. Deinde ad tempus aliquantum relinquitur, donec cohærescant claui commissuræq;. deinde tuto sulcat maria. Sic ciuitas multis sudoribus condit̃, donec aucta tempore, tutam, ac tranquillam uitam præbeat ciuibus.

Qui uenantur bestias, induunt exuuium cerui. Qui aucupant̃ aues, plumatis utuntur tunicis, cauentq; ne tauris appareant in ueste purpurea, rubra, aut alba Elephantis, quod hoc colore irritentur. Sic qui uelit feram nationem cicurare, domareq;, moribus, ac uestitu, semet illi ad tempus accommodet necessum est.

Vt aeris

Vt aeris circumfusi temperies elicit terræ fertilitatem. Contra cœli inclemẽtia, uitiumq; premit, atq; extinguit. Ita fauor & benignitas principis, excitat honesta studia. Rursum tenacitas, & odium extinguit arteis.

Vt ceruis frustra sunt ingentia cornua, cum desit animus. Ita non satis est opibus pollere, nisi fortitudo accesserit.

Vt Cyclops exoculatus manus quoquo uersum porrigebat, nullo certo scopo. Ita magnus rex, cui desit prudentia, quiduis aggredit̃ ingenti rerum tumultu, sed nullo iudicio.

Quemadmodum imperiti artifices, cum statuis exiguis magnas subdunt bases, magis conspicuam reddunt illarum exiguitatem. Ita fortuna si pusillo animo munus amplum addat, indicat & arguit magis animi humilitatem.

Vt ferrum si non utaris obducit̃ rubigine. Sic animi uigor, nisi negotijs tractandis exerceas.

Qui simul & rempub. tractat, & artem exercet sedentariam. Perinde facit, atq; ille, qui mulierem ingenuam, ac probam, detracta stola, datoq; præcinctorio, in officina detineat.

Vt Herculem parũ decebat, exuto leonis exuuio uestis milesia, cũ seruiret Omphalæ. Sic parũ decorũ ciuili uiro, deposita, quã gessit, persona, ad otiosam, ac uoluptariã uitam se conferre.

Ignis semel accensus facile seruatur. Extinctus haud

haud facile redaccenditur. Ita famam tueri facile est, extinctam non facile est restituere.

Deliacum nauigium, dum subinde sarcitur, & reconcinnatur, ueluti perpetuum in multa sæcula redditur. Sic famæ semper aliquid adijciendum, ne collabatur.

Canis ignotos allatrat, erga notos mitior secũdum Heraclitũ. Sic inuidia nouos hoĩes, et nuper euectos potissimũ infestat, in notos iam mitior.

Flãmam primũ emicantẽ, multus comitat̃ fumus. Qui quidẽ euanescit, iã inualescente, et explicante se flãma. Sic res egregias aggredientẽ, initio multa p̃mit inuidia, donec aucta gl̃ia, inuidiæ fumum discutiat. Nam fumus gloriæ, inuidia est.

Vt stultus, qui aduersis uentis & undis nauigat, orta tranquillitate portum petit. Sic qui tum negotiũ relinquit, cum diu iam cũ inuidia luctat̃. Deinceps citra inuidiam uiuere possit.

Vt difficillimũ, ac periculosum est annosas arbores, quæ iam late sparsere radices reuellere loco, & alio transplantare. Ita remp. longo tp̃e suis inueteratã institutis, ad aliã uitæ rationẽ traducere non licet, citra maximos rerum motus.

Vt ferrum, aut æs usu splendescit. Sic exercendis negotijs, enitescit animi uigor.

Vt gaudent, qui a furiosis dominis aufugerũt. Sic gaudere debent senes, qui ætatis beneficio, libidine non infestantur.

Ibin aiunt

Ibin aiunt ubi consenuit, iamq; quod erat turbidum, expirarit, magis aromatice olere. Sic gloria senum tranquillior, & consilia sedatiora.

Vt aqua uino admixta, reddit illud moderatius, & sobrię nymphæ, deũ temulentũ compescũ. Sic in repub. senes admixti, iuuenũ temeritatẽ, & ambitionẽ, reuerẽtia sui, reddunt moderatiorẽ.

Vt in scena Δοϱυφόϱημα tantum ostendit, nec loquens quicq̃, nec agens. Sic princeps, qui uestitu & titulo tantũ principem agit, nihil autẽ curat eorum, quæ fere sunt principum officia.

Mistum — Vt arcus tensus rumpitur. Sic animus remissus frangitur.

Vt cantor senex, nõ omittit artem, nec abijcit lyram, sed leuiores sequitur harmonias, & uocis fugitat contentionem, iuuenibus aptiorem. Sic in senectute, non oportet a rep. prorsus desistere, sed eligere negotia remissiora, quæ cõueniant ætati.

Dissimile — Athletæ abstinent a laboribus necessarijs, ut in non necessarijs ualeant. Nobis cõtra faciendũ.

Qui æquos domant, primum blandiuntur, ac mollissime tractant, ut assuescant freno. Sic populus lenitate subeundus.

Vestalibus tempus erat præstitutum. Primũ in quo discerent. Alterum, in quo exercerent. Tertium in quo docerent. Idem fiebat in sacerdotibus Ephesiæ Dianæ. Itidem faciendum ijs, qui rempublicam gerunt.

Arbores

Arbores inuidæ, uetulæq; ſubnaſcentes arbu-ſculas umbra ſua premũt, nec ſinunt effloreſcere. Non ſic facĩdum, ſenioribus magiſtratibus, ſed inuitandi potius, & adiuuandi iuuenes. Diſſimile

Remedia ſtatim mordent, uel offendunt. poſt-ea conferunt ſalutem & uoluptatem. Ita ſalubria monita, initio ſunt nonnihil amara, poſtea corre-cto iucundiſſima.

Inſania alendi equos, non conſequitur lenticu lam, ſed arua frumentifera. Sic adulatio, non infe-ſtat pauperes atq; humiles, ſed magnarum fami-liarum, ac fortunarum ruina, ac morbus eſt.

Pediculi corpora exanima deſerunt, utpote de fecta ſanguine quo alebantur. Sic adulatores re-bus proſperis, ac feracibus adſunt, aridas & ſteri-les non attingunt.

Vt nummum exploras num ſit adulterinus, prius q̃ eo ſit opus. Sic amicus probandus, an-teq̃ eo ſit opus.

Vt qui prægustando lętale uenenũ, in exitium conijciunt ſeſe. Sic qui amicum admittit, priusq̃ cognorit, ac ſuo malo diſcit, qualis ſit.

Vt ignis omnium condimẽtorum eſt ſuauiſſi-mum, uelut inquit Euenus. Ita amicitia omnem uitam condulcat, ſi admiſceatur.

Vt adulterina, ſplendorem ac nitorem tan-tum auri imitantur. Sic adulator, gratiam, obſe-quium, & hilaritatem amici.

Vt syluestria semīa, quæ spacio ac magnitudi-
ne accedunt ad triticum, haud facile repurganī.
Nam ꝑ angusta foramīa non excidūt, per ampla
simul excidūt. Sic adulatio, quæ amicitiā imitaī,
non facile ab amicitia reijcitur, ac separatur.

Opsoniorū egregij artifices cōdimētis nōnihil
austeri admiscent, quo dulcedinis tollant facieta-
tem. Sic adulatores fictā quandam libertatē ac se-
ueritatē admiscent, ut nunc̄ magis adulentur, q̄
cum uidentur obiurgare, ac libere loqui.

Vt difficile deprehenduntī bestiæ, quæ ad loci
similitudinē mutāt colorem. Sic eos assentatores
haud facile deprehendas, qui ad omne uitæ insti-
tutū, omnesc̄ affectus, sese accōmodant.

Qui alunt beluam, primum accommodant se
illius ingenio, & animaduertunt, quibus rebus
offendatur, aut placetur, donec assuefacta, fiat tra-
ctabilis. Sic adulator, omnibus amici studijs, &
affectibus sese accommodat.

Vt præterfluens aqua nullo certo colore est,
sed semper refert colorem subiecti soli. Ita adula-
tor sui dissimilis est, pro re nata sese adaptans.

Simia dum hoīem imitari conaī, sæpe capitur.
Ast adulator idem faciens, alios capit, & allicit.

Vt Circes poculis hoīes subito trāsformabanī
in feras. Sic affectus repente aliū reddunt hoīem.

Vt speculū q̄cq̄d obijciī, imitaī. Sic adulator.

Vt umbra quicquid agas, respondet & adest.

Sic adu-

Sic adulator quoquo te uertas, sequitur.

Chamæleon oēm imitatur colorem, prætereq; album. Sic adulator, in turpibus nihil nō imitatur, solum quod honestū est imitari non potest.

Vt imperiti pictores, cum pulchra non queant assequi, rugis, & uerrucis exprimūt similitudines. Sic adulator refert, intēperantiā, iracundiā amici.

Bene olet unguentum, bene olet & pharmacum. uerum illud ad nihil utile, nisi ut delectet. Hoc præter odorem, maiorem habet utilitatem. Sic adulator, tantum iucundus. Amicus etiam utilis & necessarius.

Pictura colores habet iucundos. Sunt & Pharmaca grati coloris. Sic amicus ideo delectat, ut iuuet. Adulator tantum delectat.

Medicus si res postulat, aliquando crocum & nardum inijcit, & lauat suauiter, & pascit humaniter. Sic amicus aliquando blandus est.

Quidā Tauris œstrum, canibus crotonē in aures immittūt. Sic adulator in aurē admissus, haud facile excutit̄, sed transuersum agit, quo lubet.

Pictores illustrant lucida appositis umbris & obscuris. Sic adulator laudans diuersa uitia in alijs, in amico nutrit ac fouet, quæ adsunt.

Vt oratores aliquoties aliam personam loquentem faciunt, uel fidei causa, uel ut inuidiam fugiant. Sic adulator narrat, quæ ab alijs de amico audierit, etiam si non audijt.

Palæſtritæ, corpus humiliant, ut alios deijci-
ant. Ita quidam ſeipſos uituperant, ut uideantur
admirari familiares.

Vt pictura eſt tacita poeſis. Ita, ſilentio quoq;
laudat adulator. Nẽpe vultu, nutuq;, et obſequijs.

Vt qui uenantur facilius fallunt feras, ſi aliud
agentes, hoc eſt iter facientes, aut agricolantes, id
faciant. Ita maxime laudat adulator, cum non ap
paret eum laudare.

Si ager laudando redderetur fertilior, non mi-
nus laudandus eſſet q̃ arandus, aut ſtercorandus.
Sic amicus ſi redditur laude melior, expedit ali-
quando laudare. Sin minus, quorſum pertinet
inutilis palpatio.

Vt Patroclus, in bellum proditurus, reliqua
quidem Achillis arma ſibi ſumpſit, ſolã haſtam,
ut grauem ac præualidam non attigit. Ita adula-
tor omnia ueri amici Symbola imitatur, præter
ſolam admonendi libertatem.

In Menãdri comœdia inducit̃ falſus Hercules,
clauam geſtans, non robuſtã, ſed inanẽ ac leuem.
Sic adulatoris libertas, mollis eſt & blanda.

Vt puluinaria mulierum, quanq; uidentur re-
niti, ac reſiſtere capitibus, cedũt magis, & accom-
modant ſeſe. Sic libertas adulatoris, tumet qui-
dem, ſed in ſe recipit inclinantem.

Vt mel exulcerata mordet, ac purgat, alioquin
utile & dulce. Sic amici libertas, non mordet, niſi
ſi quid

ſi quid eſt uitioſum & corrigendum.

Qui in leuibus nugis obiurgat amicũ, in graᵴ uibus rebus tacet. Idem facit, quod Aliptes ſinẽs athletam inebriari, & libidinari, circa lecythum duntaxat difficilis, ac moroſus.

Item quaſi præceptor puerum de ſtylo, ac taᵴ bula obiurget Barbariſmum, aut ſolœciſmum committentem diſſimulet.

Item quaſi malus orator, nihil ad argumenta reſpondens uocem, aut codicillos indiligenter ſcriptos calumnietur.

Item perinde ac ſi quis hominis tuberibus, ac fiſtulis laborãtis, medici ſmilio pilos, & ungues ſecet. Ita adulator libertate utitur in ijs, in quibus non eſt opus.

Vt ſi quis merũ, alioqui conferens aduerſus ci cutam, admiſceat illi, uenenũ reddit immedicabiᵴ le, quod calore uim ueneni protenus deuehat ad cor. Ita adulator, intelligens libertatem eſſe remeᵴ dium aduerſus adulationem, eam ipſam adulatiᵴ oni admiſcet, quo magis ſit noxia. Miſtũ.

Vti medicus dat operam, quo ſanitatem tueaᵴ tur, & augeat. Ita facit amicus. at Adulator, ulceᵴ roſas titillat partes.

Sunt cibaria, quæ neq; ſanguini conferũt, neq; ſpiritibus, neq; neruis, neq; medullis. Sed pudenᵴ da tantũ mouent, uẽtrem inflant, corpus turgidũ reddunt. Talis eſt adulatoris oratio, uitioſa tantũ

auget,& irritat,alioquin infrugifera.

Vbi corpus uiciosis inflatum humoribus, ibi adsunt bubones. Sic ubi irascitur,amat,odit amicus,id premit adulator.

Vt tragœdiarum histrionibus, choro opus & amicis concinentibus,theatroq; applaudente. Sic qui gaudent adulatoribus, nihil agunt, nisi sint qui applaudant.

Queadmodũ iuxta Mathematicos,supficies et lineæ,nec inflectunt,nec producunt,neq; mouent per se,cũ res sint intelligibiles. Sed inflectunt,producunt,& migrant pariter cum ipsis corporibus. Ita adulator,suopte affectu nõ mouetur, sed cum irato amico irascitur,cum gaudente ridet.

Animal in intimis uires habet maxime proprias. Sic amicus nihil ostẽtat,sed tum cœlat,cum maxime iuuat.

Vt medicus & non sentientem sanat. Sic amicus etiam si ignoretur,amicum iuuat.

Vt mala pictura, fractis uestibus, rugis & angulis rem repræsentat. Sic adulator, sudoribus, clamoribus,amicũ imitat,nihil exhibẽs syncerũ.

Simia cum nec domũ possit seruare, more canis, Nec onera gestare, queadmodũ equus, Nec arare,sicuti boues, Parasitat,ac risum mouet. Sic adulator, cum in serijs ac grauibus rebus nesciat esse usui,uoluptatum minister est.

Quidã male pinxerat gallos gallinaceos, iussit

q; pue-

q; puero, ut ueros gallinaceos procul abigeret a tabula, ne collatione deprehenderetur. Sic adulator ueros amicos, pro uiribus abigit, ne ex illorũ comparatione deprehendatur fictus amicus.

Pharmacum nõ adhibitũ in loco, dolet absq; fructu. Sic obiurgatio nõ ut debet admota. Atq; idem facit amicus cum molestia, quod adulator cum uoluptate. Lædit enim uterq;.

Qui lignum ob imperitiam rectum facere nesciũt, distorquẽt in diuersam partem. Sic quidam fuga uitij, in aliud uitium incidunt grauius.

Vt medico carnẽ secante, manus concinnitatẽ quandã & elegantiã seruat, abest aũt saltatoria gesticulatio. Ita libertas admittit urbanitatem, seruata grauitate. Adulator risibus, scurrilibusq; iocia libertatem, ueluti malis condimentis edulcat.

Ignaui canes apud mensam audent, in uenatu minie. Sic ingenerosum est, cum sobrius libere loqui non audeas, inter pocula id facere.

Aqua delabitur ubicunq; cauum, ac decliuũ locum reperit. Sic adulator uehementer urget, si quid lapsus est amicus.

Vt pituita paulatim collecta, tum maxime apparet, ac uincit cum natura uincitur. Sic quidam amici, potentes admonere nõ audent, nisi labantur. Et simul atq; cõmutata fortunę aura sunt humiles facti, tum obiurgant.

Sanus fert si exprobres intemperantiã, libidi-

nem, luxum. Eadem non feret ægrotans. Sic ad-
monēdus amicus, cū desierit irasci, aut amare.

Nutrices pueros lapsos non obiurgant ac pu-
niunt, sed accurrētes erigunt, deinde obiurgant.
Sic amicus cum affligitur, adiuuandus est, & eri-
gendus, postea monēdus & obiurgandus, quod
suo uitio in eam calamitatem inciderit.

Vt rupturæ, & spasmata tum demum mouen
tur, cum corpus aliquo malo corripitur. Sic ami-
ci nō ingenui fœlicibus adulantur, lapsos obiur-
gant, & illorum infortunio fruuntur.

Oculo lippienti, non est admouendum lumē.
Nec anius affectu laboris, admittit grauē admo-
nitionē. Sed admiscenda laus est, ac sic medendū.

Qui in rebus leuiculis acriter obiurgat ami-
cum, perinde facit, ac si medicus amarum, & acre
pharmacum, ac sumptuosum in leuissimis mor-
bis passim admoueat.

Veluti si quis laborat epatis uitio, medico o-
stendat ungues exulceratos, inepte faciat. Ita qui
grauibus laborās malis, de nugis cōsulat amicū.

Ferrum prius calore solutū ac mollitū, postea
frigida durescit, ac solidatur aqua. Sic amicus pri
us laude delinitus, mox libere admonebit.

Vt bonus medicus mauult morbo mederi,
somno, ciboq; q̄ scammonio, aut castorio. Sic
amicus, pater, præceptor, magis studet laude cor-
rigere, q̄ obiurgatione, si liceat.

Quem-

Quemadmodum medicus ubi ſecuit carnem, Non ſtatim deſerit ſectum, ſed rigat ac lenit. Sic qui acrius obiurgauit, debet reliqua uitæ conſuetudine lenire eam moleſtiam.

Vt ſtatuarij primum ictibus incidũt lapidem, poſtea poliunt atq; æquant. Sic amicus obiurgationem lenitate mitigabit.

Vt cuſtos aſſidens puero, cauet & admonet, ne quid peccet. Sic ratio ſemper animo præſens, non ſinit uſq; labi aut peccare.

Vt imperiti ſtatuarij pulchram exiſtimãt ſtatuam, quæ ſit uaſtiſſima mole. Sic reges nõnulli, faſtu & aſpitate ſe egregios principes uideri putãt.

Vt Coloſſi foris inſignes deum aliquem repreſentãt, intus pleni luto, clauis, ſordib9. Ita rex purpura, equis, auro, ſatellitio magnificus, in animo nihil habet præter ſordidos affectus, & inſcitiã.

Statuæ magnitudine moleq; ſua librantur & conſiſtunt. At reges ſtulti, ſubuertuntur. Diſſimile

Regula primum recta ſit oportet, deinde quæ applicentur, corrigat. Ita princeps, primum ipſe uitijs careat, neceſſe eſt, deinde alijs leges pſcribat.

Vt lapſus nõ poteſt erigere lapſum. Ita malus & ſtultus princeps, non poteſt emendare populũ.

Vt deus in cœlo pulcherrimum, ac iucundiſſimum ſui ſimulacrum conſtituit Solem. Sic in republica principem, qui prudentia, iuſtitia, benignitate ſe erga omnes repræſentet.

Vt deus irascitur, qui fulmen ac tonitru imitantur, eosq; in tartara præcipitat, ut Salmoneum. Sic superbis & elatis indignatur, qui magnitudinem æmulantur, non exprimunt bonitatem.

Vt canes ouium custodes, excubias agunt. Non sibi timentes sed ouibus. Ita rex, non tam sibi debet timere q̃ populo.

Sol iucundissimus est, ijs qui ipsum possunt intueri. Ita princeps, ijs qui amat iustitiam.

Vt in magna tempestate, ualidissimo clauo, optimo gubernatore, plurimis fulturis, opus est. Ita magnas & turbulentas res administranti, summa opus est sapientia.

Vt in malis somnijs nonnulla turbat animũ ęgritudo, sed pręterea nihil efficiunt. Sic mali, sed impotentes, non admodum lædunt.

Quemadmodum fulgur prius emicat, q̃ audiatur tonitru, Quod sonitus auribus excipiat̃, lumini uisus occurrat. Et sanguis prius apparet, q̃ vulnus. Sic princeps aliquãdo, prius condemnat, q̃ redarguatur delator.

In magno fluctu, non sistitur nauis, nisi pondus anchoræ retineat alto infixæ uado. Sic in magnis rerum procellis, summa ratio debet animũ cohibere, ne ab affectibus auferatur.

Sol cum maxime tollitur in altum, arduus ad polum Septentrionalem, tum minimũ mouetur. Ita quo maior est potestas, hoc magis coercenda est

da est

dã est animi temeritas.

Qui morbo comitiali sunt obnoxij, frigore deprehenduntur. Nam illico capitis uertigine laborant. At indoctos, si paululum euexerit foruna, protinus arguit cuiusmodi sint.

Vt non queas cognoscere uas integrũ sit, necne, nisi liquorem infuderis. Sic nec hominem, nisi imperium commiseris.

Vt medicus libẽtius sanat oculũ, qui ꝑ multis uidet, multosq; custodit. Sic phũs libentius principis animũ instruet, qui pro multis solicitus est.

Non fodit puteos, qui fontes habet, aut nouit. Sic non petit aliunde qualecunq; consilium, qui ipse didicit philosophiam.

Ixion Iunonem amans, in nubem incidit. Sic quidam dum ueram expetunt amicitiam, vulgarem ac falsam amplectuntur.

Inter Agathallos et Acanthylides tantũ est odium, ut si sanguis eorum ui misceat̃, continuo separent se rursus, ac dissiliant. Sic inter patricios & plebem, etiam si quando pro rerum usu coniunguntur, durat tamen usq; odium naturale.

Vt Cantharides maxĩe læto tritico innascuntur, & rosis florentibus. Sic inuidia maxime comitatur eos, qui uirtute florent.

Vti sol, si immineat hominis uertici, aut prorsum tollit umbram, aut minimam reddit. Sic ingens gloria, extinguit inuidiam.

Vbi nul-

Vbi nullum lumen, ibi nulla umbra. Ita ubi nulla fœlicitas, ibi nulla inuidia.

Qui inuidēt amicorū fœlicitati, nolūt eos prorsus subuerti, sed tñ grauant illorū excellentia. Vt qui uicini domum nolint oĩno demoliri, sed satis habent, si detrahat quod obscurat proximas.

Vt unguentum non solum delectat olfactum, uerumetiam remedio est aduersus male olentia. Sic in malis bonorū memoria consolatur.

Vt semel admissum intro hospitem non facile expellas. Ita luctum receptū tua sponte, non possis cum uelis depellere.

Dissi mile Qui lippiunt, aut alioqui laborant oculis, non sinunt alios admoliri manum. At qui lugent, qui busuis sese tractandos exhibent, ut malum quo laborant, exacerbetur.

Vt mœstis conducit, si se ad lucem conferant e tenebris. Ita lugentibus, si a tristibus cogitationem ad læta transferant.

Quidam Homeri uersus Acephalos .i. capite diminutos, & μειόρους.i. cauda diminutos excerpunt, tam multa integra, pulcherrimaq; ꝑtermittentes. Idem faciūt, qui de paucis uitæ malis quæruntur, dissimulatis tot commoditatibus.

Auari cum multa congerant, non fruūtur præsentibus, sublata deplorant. Sic qui lugent extinctos, uiuis non fruuntur.

Vt auis capta, si diutius alatur in carcere, etiam si di

am si dimittatur, studet eo redire. Sic animus diu uersatus in hoc corpore, non facile reuellitur. At puerorum animus lubentius euolat.

Quēadmodū, igni si extinctā subito facem admoueas, statim redaccendit. Sic animus, si statim euolet a corpore, facile redit in suam naturā.

Vt uestes uidentur addere calorem homini, cum per se sint frigidæ. Non addunt autem, sed eum qui est in corpore, tuentur. Sic opes uidentur dare iucundam uitam, cum ea proficiscatur ab animo, non a rebus externis.

Vt qui febri laborant, e diuersis diuersa capiunt, hoc est e calidis frigescūt, e frigidis calescunt. Sic & diuitiæ molestiam adferunt stultis, & paupertas gaudium sapienti.

Vt fonti non deest humor, semper ex eo scatens. Sic probo uiro semper adest gaudium, etiam si res externæ mutentur.

Vt honoratior domus, si luceat ignis. Quemadmodum inquit Homerus. Sic fortunæ commoda splendidiora, iucundioraq́, si animi gaudio condecorentur.

Vt aromata pannos, ac laceras uestes, odoratas reddunt. Contra byssus sudore infecta male olet. Sic quæuis uita iucunda, si uirtus accesserit. Contra malitia, etiam quæ splendida uidentur, molesta reddit, & intoleranda.

Quidam in foro fœlices uidentur, domi moribus uxo-

bus uxorum cruciantur. Sic diuites foris fœlices apparent, intus malitia noctes diesq; discruciat.

Dissimile

A praua uxore facile diuortiū feceris. Malitia uisceribus insidet, nec potes illi repudiū scribere.

Vt ij q̄s dolētes sopor occuparit, tristia somniant. Ita q inuidia, supstitione, auaritia laborant.

Vt uxor mala foris ob pudorem est modestior, domi sui similis est. Sic malitia apud alios premit sese, in somnis aperit. Nam tum incestat matrem, aut sororē, aut ueneno tollit amicum.

Vt corpus non est capax uoluptatum, nisi bene temperatum. Ita animus non capit ueram uoluptatem, nisi liber metu, ac cæteris affectibus.

Quemadmodū agricola syluestribus securim, aut ignem admouet, ac funditus extirpat. Vineas uero, atq; oleas amputat cautim ac circumspecte, ne forte superuacua resecans, lędat & id, quod sanum est. Sic philosophus ex animo iuuenum libidinem, auaritiam, inuidiam, penitus reuellet. Cæterum pudorem immodicum, cautim emendabit, ne simul omnem euellat iracundiam.

Nutrices sæpius extergentes sordes puerorū, aliquando carnem auellunt. Ita dum quædam uitia nimis anxie conamur emendare, lædimus.

Vt qui demoliunt̄ ædes templis uicinas, quæ contigua sunt, ea sinunt, ne quid sacri quoq; demoliantur. Sic quædam uitia caute sunt corrigenda, quæ cum uirtutibus proxime cohærent.

Vt locus

Vt locus supinus ac mollis, nihil expellit quod inciderit, nec potest auertere. Sic animus uitiosa præditus uerecundia, nulli peruius est, nisi turpibus affectibus.

Vt qui lucernam non ferunt, multo minus ferrent solem. Sic qui mediocribus rebus pturbantur, multo magis obstupescunt in magnis.

Vt amphoræ facile circumagunt auribus. Ita quidã quouis sermone huc, aut illuc impelluntur.

Viator qui semel in saxum impegerit, aut gubernator in rupem, non solum horret eadem, uerumetiam similia. Sic qui uitium agnoscit suum, etiam a confinibus cauebit.

Vt manus eadẽ in uarios disiecta digitos. Sic multorũ charitas, eos unũ reddit, discretos tamẽ.

Vt in corpore ex humidi, frigidi, calidi, sicci, temperatura optima fit constitutio. Sic ex fratrũ concordia maxime floret genus.

Vt morbus in corpore non admittente, quod propriũ est. multarũ noxiarum, & absurdarũ rerum gignit appetentiam. Ita calumnia, suspicioq; aduersos cognatos, & domesticos, malas & noxias aliorum necessitudines inducit.

Qui reiectis cognatis, peregrinos asciscit amicos, perinde facit, ac si quis amputato pede carneo, ligneum pedem addat.

Vt insaniat, qui fratris imaginem uenereť, corpus pulset, ac uerberet. Ita stultũ sit amare in ad-

optiuis

Dissi mile

optiuis nomē, uerum fratrē abdicare, aut odisse.

Vt quæ glutino cōmissa sunt, si soluant, facile reglutinant. At, si corpus rumpat, aut facile coit. Sic inter alios amicitia dirupta facile coit, in fratribus semel dirupta, aut nō coit, aut cicatricosa coit.

Armis perditis, aut instrumētis, licet alia parare, corpus aliud parare non queas. Sic amicos alios inuenies, fratres non item.

Ex eadem materia prima, natura sunt elementa inter se diuersissima, pugnantissimaq;. Sic aliquoties ex ijsdem parentibus, nascuntur fratres ingenijs dissimillimi.

Subduc materiam, extinguetur ignis. Subduc occasionem, conquiescit odium, siue inuidia.

Vt ciuiles seditiones rectius in hostes transferimus. Sic rectius inuidemus alienis, q̃ fratribus. Etiam si sit optimū omnino non inuidere.

Vt in bilance, altera surgēte, altera cedit, ac deprimitur. Ita frater euecto ad maiora fratri cedere debet, submittens sese, non repugnans.

Vt in numeris minores additi maioribus eos multiplicāt, & uicissim multiplicant ipsi. Sic frater obseruiēs fratri euecto ad honores, & auget illius dignitatē, & uicissim ornat illius splendore.

Vt in digitis, etiam qui scribere, aut canere nesciunt, tamen una cum illis mouentur, & obsequuntur. Sic fratres fratribus magistratum administrantibus, adesse conuenit.

Vt feris

Vt feris bellum eſt, cum ijs quæ ijſdem aluntur, cũ cæteris pacem agunt. Sic inuidia & æmulatio inter eiuſdem artis profeſſores. Nam pugili cum curſore conuenit.

Vt cõuenit amantibus, diuerſas amicas, in eandem depereuntibus, male conuenit. Sic diſſident qui eadem ex re gloriam affectant.

Qui diuerſam ingrediuntur uiam, nonpoſſunt ſibi mutuo prodeſſe. At qui diuerſa uitæ ratione utuntur, adimunt inuidiam, ac magis ſibi inuicem ſunt auxilio. Diſſimile

Vt macula ſtatim eleuãda, ne inhæreſcat, & difficilius eximatur. Ita diſſenſio fratrũ, illico tollenda, ne gignat odium.

Vt ſi buboni accedat febris, nihil eſt pculi. Verum ſi ſublato illo, tamẽ morbus perſeueret, uidetur altius egiſſe radices. Sic fratrum diſſenſio, quæ ceſſat lite finita, cauſæ erat, non ipſorum. at ſi manet etiam dum negotio confecto, iam negotium prætextus erat, non cauſa, ſed exulceratus animus in cauſa fuit.

Vt aqua in locos hiantes, ac diductos influit, ac magis eos diuellit. Ita qdã irritãt fratrũ diſſidia.

Vt amici deteſtantur ſaxum, aut canem incurrentem, qui eos dirimant. Sic execrari deberent homines caninos, qui maledicentia ſua dirimunt neceſſitudinem, mutuamq; beneuolentiam.

Caſſiteris .i. ſtannũ, uel plumbũ album, æs ruptum ſer

tum ferruminat, utrunq; contingens propter affinitatem, quam habet cum utroq;. Ita amicus amicitiam, ac beneuolentiam disruptam reconciliare debet, utriq; sese accommodans ex æquo.

Vt non impletur uas quod semper effundit, nihil accepit. Ita non accipit sapientiam, qui semper loquitur, nunq; auscultat.

Erat porticus in Olympia, quam septiuocã uocant, quod pro una uoce, multas redderet. Ita locutulei quidam, uel uno prouocati uerbo, sermonem immensum referunt.

Vascula inania maxime tinniuut. Ita quibus minimum inest mentis, hi sunt loquacissimi.

Aiunt senem, quod statim effunditur, inutile esse ad genituram. Ita sermo garrulorum, ad nihil conducit.

Vt ædium ostio carentium, & crumenarum absq; uinculis nulla est utilitas. Ita multo magis oris claustro carentis, nullus est usus.

Vt triticũ inclusum in uase, mẽsura auctũ inuenitur, sed uitiatũ. Sic garrulus accepto sermoni semper addit, & maiorẽ reddit fide iam carentem.

Qui abigit homines cesto Veneris, a venere uideatur alienus. Sic qui oratiõe molestus est, & reddit inimicos, a musis est alienus, & utẽdi ignarus, Quandoqdẽ orõ ad cõciliandos hoies est repta.

Vti monas non exit suum finem, sed semper in uno manet. unde & nomen habat. Duas autem ini-

tem initium differentiæ infinitum, protinus enim per se duplicatur, ad multitudinem. Ita sermo, donec apud unũ manet, uere arcanus est, & secretus Quod si ad alterũ transierit, iam spargit̃ in famã.

Vt procliue non est aucm e manu emissam recipere, aut cohibere. Ita nec dictum semel ab ore profectũ, propterea quod ab aliis uolat ad alios.

Non ut nauẽ arreptam fluctibus, anchora licet sistere. Ita uerbum e portu, uelut in altũ emissum

Dissimile

Vt uas experiamur, aqua & non uinum infundimus. Ita friuolum quiddam aliquando cõmittendum amicis, quo silentij fidem experiamur, ut si effutiant, nihil sit periculi.

Vt puer glaciem, nec retinere potest, nec uult amittere. Ita garrulus nec tacere potest, quod accepit, nec potest obliuisci.

Iaculos & uiperas proprij rumpũt fœtus. Sic garrulus, uel cũ sua pernitie promit arcana.

Aegroti ob odiũ amari, & graue olentis pharmaci, ipsum etiam cyathũ oderunt. Sic qui tristia nuntiant, & ipsi habentur inuisi.

Vt pars corpis uitiata, attrahit etiã a uitijs uitiosos humores. Sic garruli liugua sp ardens, & inflãmata, secretorum aliquid undiq; collegit ad sese.

Vt rupes obijcitur flumini, ne se effundat. Ita ratio linguæ obijcienda, ne temere diffluat.

Grues cum ex Cilicia deuolant, lapillos in os sumũt, atq; ita Taurum montem aquilis plenum

tuto transuolant, idq; noctu, ne uox prodat. Ita tutiſſimum ubiq; ſilentium.

Vt egregius artifex iaculandi, ſtatim ſcopum petit. Ita ſapit, qui pauca loquitur, ſed ad rem.

Celtiberi ita ferrum temperant ac durant, ut in foſſo in terram, quod eſt terreum auferatur, ac repurgetur. Sic laconicus ſermo, ſublatione ſuperuacui, ſit penetrantior.

Diſſimile Vt ſingula haſtilia facile frangas, coniuncta non poſſis. Ita diſſidentes facile ſuperantur, concordes haud facile.

Non idem finis ſermonis qui curſus, iuxta Sophoclem, nam illic uincit, qui præuenit. hic qui magis ad rem dixit, non qui celerius. Immo uincit ſæpe, qui poſterior dicit.

Qui aliis interrogatis ipſi præripiunt reſponſionem, perinde faciunt, ac ſi quem ab alio uolentem oſculari, priores occupent.

Vt ubi dolet, ibi manum habemus. Ita ſi quid delectat, ibi linguam habemus, id eſt libenter eius rei facimus mentionem.

Vt canes, ſi iram effuderint in lapidem aut ſaxum, mitiores ſunt erga homines. Sic qui bilem in alienos euomuerit, placidior eſt erga ſuos.

Qui de natura querit, quod quædam genuerit homini noxia diſſimulatis tot bonis, perinde facit, ac ſi quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Aegypto, quo crocodilū habeat, aut aſpidem, nec

dem, nec postea uelit frui prognatis frugibus, sed tantū querat de uenenis quæ nutrit. Aut si qs in copiosa oratoris orone, quę mltis exuberet uirtutibus, de pauculis uoculis temere elapsis cauillet.

Plato uetat aquā a uicinis petere, nisi prius domi foderis usq; ad terram, quam Ceramitidē uocant, reppereritq; non esse spem uenæ. Ita prius excutiēdū, ut parsimonia, aliaue uia tibi suppeditetes, priusq; a mēsariis pecuniā mutuā petas.

Templum Ephesiæ Dianæ tutos reddebat obæratos a creditoribus. At multo magis frugalitas, & parsimonia præbet Asylum.

Lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfœtat. Ita fœnerator, sic æs alienum, priusq; conceperit, parit. Nam dantes statim petunt, & ponentes tollūt, & fœnerant, q̊d pro fœnore accipiunt.

Vt ignis inualescens, alia post alia corrripit. Sic usura.

Vt equus semel accepto freno, sessorem alium post alium fert. Sic qui semel inciderit in æs alienum, nunq; explicatur.

Qui in lutum inciderit, eum oportet, aut surgere, aut manere, nam si se uoluat, magis etiam inquinat. Sic qui rem habent cū fœneratoribus.

Colerici qui purgari nolunt, sub tempus, collecta in dies maiore bile, postea grauiter discrutiantur. Sic qui sinunt fœnus accrescere, cum adest dies, grauiter e capite laborant.

Qui dicunt, carebo domo, carebo famulitio, ne debeam? Perinde faciunt, ac si hydropicus dicat medico. Ego gracilis fiam, & inanis. nam nihil refert, quod gracilis sit, modo sanus.

Vt pedem aut manum, si computruerit, data mercede resecamus. Ita domus, aut famulicium abijciendum, ut liberemur ære alieno, hoc est, ut liberi fiamus.

Vt in calamitatibus firmissimi, atque optimi amici adsunt utiliter. Sic & sermones optimi.

Vt nandi imperiti, dum uolunt succurrere, ijs qui præfocantur ac merguntur, una cum illis merguntur, et nocent magis quam prosunt. Sic amici qui in rebus aduersis tantum collachrymant amico.

Non quemadmodum in tragœdijs. Ita nobis in calamitatibus opus est, qui comploret & collachrymet.

Corpus oneris pondere premitur. At animus ex sese sæpenumero pondus addit rebus.

Quæ natura sunt amara, his admixtis quibusdam dulcibus gratiam addimus. Ita res per se tristes, ratione sunt alleuiandæ.

Vt Cochleæ semper domum suam secum circumferunt, Ita quidam horrent peregrinas regiones.

Vt pueris cum terrent personis, damus eas in manus, & uersatas ostendimus inanes, ut discant non temere. Ita conueniet adhibita ratione, res specie terrificas excutere, ut cum uiderimus non esse, quod apparent, contemnamus.

Quemad-

Quemadmodum formicæ, si semel antro, & apes, si semel aluearibus eijci contingat, peregrinantur. Ita quidam, si semel patriam exeant, exules se putant.

Vt nauis cui firma est anchora, in quouis portu potest conquiescere. Ita animus si accedat recta ratio, quouis in loco tranquille uiuet.

Qui eos fœlices dicunt, qui per omnia uagantur maria, terrasque, perinde faciunt, ac si quis stellas errones iudicet fortunatiores fixis, quanque illis quoque suus orbis est, in quo uoluantur, nec Soli licet suos egredi fines.

Vt qui decretum inferunt ad populum, adscribunt, bona fortuna, ne nihil de suo uideantur addidisse. Ita quidam alienis libris nugas asscribũt, quæ nihil ad rem pertinent.

Qui uinum habet acre, & uapidum, nec ut uinum potest reddere, nec ut acetum. Ita Zenoni τὰ προηγμένα, nec bona sunt, nec mala.

Primum homines inuaserunt animalia noxia, post & oues & boues, postremo a nullo genere temperatum est. & Athenis primũ calumniator aliquis supplicio affectus est, & recte. Post hunc unus & alter, postremo nec a bonis est temperatum. Ita cum aperitur ius in malos, cauendum, ne postea in bonos recidat.

Pueri ludentes petunt ranas saxis. At illæ tactæ serio emoriuntur. Sic nos animi causa ue-

namur, ſed feræ ſerio occiduntur.

Vt non æque cernunt, cicadæ, & accipitres. Neq; ſimiliter uolant aquila, & perdix. Ita non omnibus, quæ rationis participia ſunt, æque ualent rationandi acumine.

Vt os non ſecatur trama, niſi prius cinere & aceto pręmollitũ. Nec ebur inflecti poteſt, niſi zutho prius molleſiat. Sic fortuna nõ poteſt reddere vulneratos animo, niſi acceſſerit malitia.

Vt medica terra, diu retinet ſemina propter aſperitatem, ut ſero emergant. Ita morborum ac dolorum cauſæ in hominibus aliquoties diu latent, donec uoluptas in febrem erumpat.

Vt ſapiens gubernator, in tranquillitate, tempeſtatem expectat. Ita rebus tranquillis, ad dolorem aliquem præparandus eſt animus.

Vt periculoſa eſt ſecundum Hippocratẽ ſumma corporis bona ualetudo. Ita rebus maxime proſperis, metuenda diuerſa fortuna.

Vt deciduæ ſtellæ ſubito extinguunť. Ita quos fortuna in ſummũ ꝓuexit, repẽte ſolẽt corruere.

Vt ſcarabei, ac vultures offenduntur unguentis. Et Scytha iurauit ſe malle equum hinnientem audire, q̃ citharœdum canentem. Ita non omnibus placent optima.

Vt mathematici centro, ac ſpacio. Ita quidam oẽm uoluptatem uentre circumſcribunt.

Vt Polypi non extendunt ſua flagella, niſi ad eſculenta.

efculenta. Sic quidam omnem fœlicitatem, cibo potuꝗ metiuntur.

Vt maior dolor obfcurat minorem. Sic animi uoluptas, corporis delectationem.

Vt qui uehementi laborant fame, nec eft quod edatur, fuis ipforum artubus uefci coguntur. Ita quidam præ fame gloriæ feipfos laudare coguntur, fi defit a quo laudentur.

Quemadmodum a pifcibus hircanis, nec boni quippiam expectatur, nec mali. Sic Epicurei, nec turbari nos uolunt deorum metu, nec delectari beneuolentia.

Si fieri poteft lippitudinem auferimus ab oculis, fin id non licet, non tamen eruimus oculum. Ita fi fuperftitio tolli prorfus non poteft, non tamen protinus credendum, nullos effe deos.

Vt principem fimul & metuimus, et amamus. Vt infeftũ malis, bonis placidum. Sic & deum.

Non quemadmodum quoties cum truculento agimus tyranno, animo fumus anxio. Sic in facris myfterijs, anxiũ ac diffidentẽ oportet effe.

Qui nauem fregit, tamen fpe uehitur. nam fieri poteft, ut corpus natans in terram, deferarur. At qui excidit a philofophia, totus perijt.

Vt Athletæ non ferũt coronam, nifi uicerint. Sic bonis uiris præmia fœlicitatis non ante contingunt, ꝗ̃ peracto huius uitæ certamine.

Vt auftera remedia, fed neceffaria, leuãt quidẽ

 ægros

ægrotantes, ſed offendunt, & inficiunt ſanos. Sic acris obiurgatio uitio medeť, probos offendit.

Stoici qui ſe dicunt inuictos, improhibitos, & cætera cum oĩa ſecus patiantur, ſimiles ſunt nauibus, quibus inſcriptum eſt. εὐπλοία, καὶ πρόνοια, σώζουσα καὶ θεράπεια, hoc eſt ſplendidi, ac magnifici tituli, at nihilo ſecius interim iactantur, fluctibus comminuuntur, ac ſubuertuntur.

Scarabei fugiunt unguenta, delectantur fœtoribus. Sic nõnullis peſſima pro optimis placent.

Vt pauperiores aliquando donant munuſcula ditioribus, quo plus recipiant. Sic indoctiores prouocamus nonnullos, ut eruditiora uiciſſim illi reſpondeant.

Accenſam lucernã nemo moleſte fert, extinctã dolent oẽs. Ita naſci iucundũ, mori in amabile.

Vt non ſatis ſoli bonitas, niſi accedat & cultor idoneus, & ſemina. Ita non ſufficit ingenij fœlicitas, niſi accedat doctor, & inſtitutor egregius, & præcepta idonea.

Vt ſtilla cauat aſſiduitate ſaxũ, ut ferrũ contrectatiõe atterit. Ita aſſiduitas, etiã duriſſima uincit.

Vt curuũ rotæ ui inflexæ, nunq̃ ad priſtinam rectitudinem queunt reuocari. Itidem hiſtrionũ baculi. Ita quædam ingenia ſic conſuetudine & inſtitutione deprauant, ut corrigi non queant.

Vt terra quo melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur. Ita ingenia, niſi recte excolan

colantur, quo ſunt fœliciora, hoc pluribus uitijs obducuntur.

Eſt terra quædam aſperior duriorq;, quæ tamen culta protinus ferax reddatur. Sic ingenia duriora natura, inſtitutione manſueſcunt.

Nulla fere eſt arbor, quæ non ſterileſcat, ac tortuoſa fiat, ſi cultura deſit. Ita nullum tam fœlix ingenium, quod non degeneret, citra rectam educationem.

Nullus equus recte ſeſſori paret, niſi arte domitus. Ita nullum ingenium non ferox, niſi præceptis cicuretur, & educatione.

Nulla tam fera belua, quæ non manſueſcat cura. Ita nullum tam agreſte ingenium, quod inſtitutione non miteſcat.

Vt molli materiæ facile ſigillum imprimitur, ſi dureſcat non item. Ita puerorum ingenia, facile quamuis recipiant diſciplinam. Sin ætate dureſcant, non item.

Vt agricolæ uallos apponunt arbuſculis, quo recte creſcāt. Ita qui inſtituit, addit monita, & præcepta ingenijs ſalubria, ne deuaricent in uitia.

Qui diu in uinculis fuerunt, cum ſoluuntur, tamen claudicant adhuc, nec ingredi poſſunt. Ita diu uitijs aſſueti, etiam cum ea deſerunt, quædam retinent ueſtigia.

Non ſatis eſt habere corpus ſanum, uerum & bonæ habitudinis, ac robuſtum ſit, oportet. Sic

ratio non

ratio non ſolum pura debet eſſe & a uitijs immunis, niſi ſit & robuſta.

Vt plures urbes præter nauigaſſe pulchrum eſt, ſed expedit unam incolere optimã. Ita quam plurima ſunt cognoſcenda. Sequenda, retinendaq; optima.

Quemadmodum proci, cum Penelope potiri non poſſent, ſtuprarunt illius ancillas. Ita qui philoſophiam non poſſunt aſſequi, alijs literis ſe contaminant.

Nutrices uagientibus pueris rurſum apponũt papillam. Sic diſcipulus offenſus correptione, rurſum eſt laude ſubleuandus, ne deficiat.

Plantæ mediocri aqua aluntur, immodica ſuffocantur. Sic animus moderatis laboribus adiuuatur, immoderatis obruitur.

Vt ſunt uices, ſomni & uigiliæ, noctis & diei, tempeſtatis & ſerenitatis, belli & pacis. Ita labores leuandi otio & luſibus.

Lyram & arcum remittimus, quo melius poſſint tendi. Ita recreandus otio animus, ut ad labores reddatur uegetior.

Vt Hierophantæ, quatenus licet aperiunt myſteria. Sic de rebus arduis cautim, & circumſpecte iudicandum.

Vt myſteria cum ſilentio ſpectantur. Ita quædam melius laudantur ſilentio, quã oratione.

Vt in lance momentũ in utrãq; partem æque propen-

propensum est, & in neutram inflectitur. Ita dubius animus.

Medici pharmacis amaris, dulce nonnihil admiscent, ut alliciant. Ita parentes obiurgationis asperitatem, lenitate debent mitigare.

Auriga non semper adducit habenas, sed aliquādo remittit. Ita pueris nōnihil indulgendū.

Vt asparagus spinosus dulcissimū fert fructū. Ita ex duris initijs, magna uoluptas nascitur.

Qui prima uirginum dissidia non ferunt ad tempus, idem faciunt, quod ij, qui offensi labruscis, vuas maturas alijs relinquunt.

Sponsæ, quæ statim offensæ moribus uirorū, eos deserunt. perinde faciunt, ac si quis ictus ab apibus, mel relinquat.

Vasa initio quauis occasione dissoluūtur. At tempore cōmissuris compactis, uix igni, ferroq; dissecant. Ita prima coniugatorum consuetudo, leui momēto dirumpit, si coaluerit, longe firmior est.

Ignis facile accenditur in paleis, & pilis leporinis. Sed idem mox extinguitur, si nihil addas. Sic iræ amantium, aut nuper coniugatorum, si nemo se admiscuerit.

Qui uenenis piscatur, facile interimit, & tollit piscem. Sed corruptum, & malū. Sic quæ philtris captant maritos stupidos habent & inutiles.

Vt Circe non fruebatur, ijs quos uerterat in sues, aut leones, sed Vlyssem sanū ultra omnes dilexit. Ita

xit. Ita quæ ueneficijs nactæ sunt maritos, insua-
uem cum illis uitam agunt ob dementiam.

Quæ malunt dominari dementibus maritis, q̃ sanis, ac prudentibus parere. Perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cæcum, q̃ sequi uidentem, & uiæ gnarum.

Vt Pasiphae maluit Tauri cõgressum, cũ uxor esset Minois. Sic quædã nuptæ moderatis, ac seue ris uiris, ad intemperantiũ amorem deuergunt.

Vt qui in equum insilire non possunt, ob im-becillitatẽ, docent ip̃m inflectere genua. Sic quidã generosas, ac potentes nacti uxores, non dant o-perã, ut ipsi meliores fiant, sed illas deprimãt.

Pro equi magnitudine temperamus frena. Ita pro uxoris dignitate, moderanda gubernatio.

Dissi-mile. Luna cum Soli coniungitur, tum obscuratur, & occultatur, Cum abest, lucet. cõtra proba uxor præsente marito, maxime conspici debet. Eodem absente, maxime condi ac latere.

Duabus uocibus simul sonantibus, grauior fit concentus. Ita quicquid fit in familia, fit quidem utriusq; consensu, sed tamen arbitrio mariti.

Cum spirat Boreas, conatur ui uestem reuelle-re. At homo magis astringit pallium, quod si Sol tepido uento demulserit, iam sponte & tuni-cam abijcit. Sic uxor conans conuitijs maritum a luxu reuocare, magis irritat. Si Placide ferat & roget, magis afficit.

Vt inuti-

Vt inutile ſpectaculum auro, gemmiſq; adornatum, niſi repræſentet ſimilem imaginem. Ita inutilis uxor, quãtumuis opulenta, ſi uiro mœſto ſit hilaris, hilari mœſta.

Vt geometri negant moueri lineas & ſuperficies, ſine corpore, ſed una cũ corporibus moueri. Sic uxor & in ſerijs, & ludicris, & riſu, & lætis & triſtibus accommodabit ſe marito.

Vt qui non ferunt uxores ſecum edere aut bibere, docent eas ingurgitare maritis abſentibus. Ita qui non communicant luſus, & iocos cum uxore, faciunt ut alibi qnærant inſcijs uiris.

Vt rex muſicæ ſtudioſus cum plures reddit muſicos, literarum ſtudioſus doctos, aleator, aleatores, rapax rapaces. Ita uir comptus, ſimilem efficit uxorem, uoluptarius incontinentem, caſtus & ſobrius. caſtam & ſobriam.

Vt ſiniſtrarum partiũ ictus redundãt in dexteras. Ita uirum oportet uxoris incommodis commodiſq; commoueri & e contra.

Vt uincula ex commiſſura uires accipiunt, Sic ex conſenſu uiri & mulieris. familiæ ſtatus.

Vt corpus nihil poteſt abſq; animo, nec anĩus recte ualet, niſi corpore incolumi. Sic ĩter uxorẽ, & maritum omnia ſunt communia.

Vt uinum appellatur, etiam ſi maior aquæ pars ſit admixta. Ita domus mariti dicetur, etiam ſi mulier plus contulerit.

Vt nemo

Vt nemo sentit, qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est. Ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit uxorem.

Quemadmodum febres ex occultis causis, ac sensim collectæ magis metuuntur, q̃ quæ ex manifestis, & grauibus causis sunt ortæ. Ita occultæ ac pusillæ, quotidianæq; offensæ, magis dirimũt beniuolentiam coniugatorum.

Qui ꝓnubæ Iunoni rem diuinã faciebant, exemptũ fel abijciebant ad altare. Significãtes a matrimonio bilem oẽm procul esse oportere.

Vt uinum sic est austerum, ut idem tamen sit utile ac iucundum non amarum, uelut aloe. Sic erit & materfamilias.

Quæ ueretur ridere apud uirum, ne uideatur lasciua, nec agere quicq̃, ne audax, perinde facit, quasi nec ungeretur, ne uideretur unguentis uti. Nec lauaret faciem, ne fucis uti putetur.

Vt orator neglectis fucis, a Theatricis cultibus, rebus ipsis magis mouet auditorem. Sic uxor, non meretricio corporis cultu, sed moribus commendatur uiro.

Vt tibicen per alienam uocem sonat. Ita mulier quædã non grauabitur per uirum loqui.

Vt philosophi colentes principem, se reddunt nobiliores, non illum. Sic uxores subdentes se uiro, laudem consequũtur. conantes autẽ imperare, deterius audiunt, q̃ quæ subijciuntur.

Imperium

Imperium uiri in uxorem non erit, cuiusmodi est domini in rem possessam. Sed cuiusmodi est animi in corpus.

Vt humida miscentur omnibus partibus. Sic inter coniugatos, omnia debent esse cōmunia.

Vt Elurus unguentis efferatur, & in rabiem agitur. Ita quædam uxores insaniunt, si senserint in uiris unguenta.

Qui ministrant Elephantis, non sumunt lucidam uestem. Qui tauris, purpuream non induūt. Nam his coloribus efferantur. Tigrides tympanorum strepitū nō ferunt. Ita uxor ab ijs debet abstinere, quibus senserit maritū uehemēter offendi.

Vt apicula per omnia circumuolitans, id q̊d est utile, domum adducit. Ita studiosus ex uno quoque quod ad mores confert, excerpit.

Vt corporis uitia grauiora sunt, quæ faciunt hulcus. Ita quædam animi uitia, ob id sunt grauiora, qnod uehementius perturbant. Minus enim cruciat, si quis non credat esse deos, quam si quis superstitiose timeat deos.

Comicus uenuste dixit, de his q lectos inaurāt, ac deargentant. Cū dij nihil nobis gratis dederint, nisi somnum, cur id sibi magno uolunt constare. At cum dij somnum nobis dederint curarum & laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinam.

Heraclitus dixit uigilantibus unum cōem esse

 mundum,

esse mundum, sopitos in suum quenq; discedere. At superstitiosus, ne uigilans quidem communi, cum aliis mundo fruitur, semper somniante cogitatione.

Dissimile. Polycrates tyrannus non erat formidabilis, nisi Sami. Periander Corinthi. Desinebat metuere, qui illinc in liberam ciuitatē emigrasset. at superstitiosus non habet quo confugiat, ut metu liberetur.

Dissimile. Licet seruis, quibus spes non est libertatis ad statuam confugere, uenditionem postulare, mutare dominum, si durius habiti sunt, quam ferre possint. Superstitiosis ne hoc licet.

Si miserum est seruire, multo miserrimum est seruire iis, quos non possis effugere.

Dissimile. Latrones aut fugitiui, si aram aut statuā apprehenderint, in tuto sunt. At hic maxime trepidat superstitiosus.

Vt tigrides circumstrepentibus tympanis aguntur in rabiem. Ita quæ bonas mentes compescunt, feras & agrestes irritant, & efferant.

Vt quibusdam minus mali fuit, non oīno uidere, quam perperam uidere, uelut Herculi, qui filios uidens, ꝓ hostibus occidit. Ita leuius malū est, deos omnino non credere, q̃ credere noxios.

Bion inquit, Quēadmodum, ꝗquid paxillo appēderis, id accipit sustinetq;. Ita ꝗbusdā, ꝗcꝗ dsuaseris, admittunt, ꝗcꝗd imposueris, ferunt.

Gubernator

Gubernator uidens insurgere tempestatem, deorum auxilium implorat, nihilo segnius interim clauum moderans, & antennam detrahens At superstitiosus despondet animam.

Dissimile.

Vt Arithmeticorum digiti aliquando ualent multis milibus, aliquando nihil. Sic regum amici, aliquoties quiduis possint, rursum mutata in fastidium gratia, nihil possunt.

Vt frequentius conuenitur ad spectaculum, ubi nonnihil theatricæ stipis confert. Ita disciplinæ a pluribꝰ colunt, quæ p̃ter uoluptatē ac dignitatē, emolimentū etiā ac cōmoditatē adferunt.

Vt in tranquillitate corpus expeditum redditur aduersus imminentem tempestatem. Ita tenui uictu, parcaq;, ut medici loquunt, diæta utendum ut si īcidat opidarum conuiuium, possis enatare.

Vt in conuiuijs tēperamus ab appositis cibis, quo locus sit lauticijs, quas expectamus. Ita quotidiana parsimonia præmuniendi sumus,

Vt qui sacrum exhibēt, ipsi nihil inde gustant. Ita quidam alios accipiunt ipsi abstinentes.

Vt qui sacram pecuniā uertunt in usus belli, uoluptatem transferunt ad necessitatem. Ita qui ad usum edunt ac bibunt.

Quidā fastiditis, pprijs uxoribus, & formosis, & amātibus cū scorto mercede coeunt, glīæ causa, magis q̃ uoluptatis. Ita quosdā cibi delectant, uel ob id ip̄m, q̊d rari sint, ac magno empti.

Vt axillarũ titillatio risum gignit, sed insuauẽ, & spasmo similẽ. Ita uoluptates iniucundæ, quas corpus ab anĩo extimulatũ, non sponte capit.

Dissi mile Abominamur fœminas utentes ueneficijs in nos, amplectimur ciborum artifices.

Vt membrũ scabiosum semper opus habet fri ctu. Ita cupiditas animi nunquã satiatur.

Vt Athenienses nunq̃ de pace cõsultabãt, nisi pullati. Quemadmodũ dicebat Demades. Ita no bis non uenit in mentẽ moderatior uictus, nisi fe bri iam æstuantibus, & admotis pharmacis.

Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scy this, deinde cum frigidam bibisset aquam, dij bo ni, inquit, q̃ breuis uoluptatis causa, quãtam de posui fœlicitatem. Ita nobis cogitandum, postq̃ ob potiunculam intempestiuam, aut Venerem, in longum morbum incurrimus.

Vt cicatrix admonet cauendũ esse vulnus, Ita memoria præteritorũ malorũ, reddit cautiores.

Vt pueriles querimonia facile conquiescũt. Ita leues cupiditates, subducta materia, facile sedañt.

Flosculorum odores per se parum efficaces, admixti oleo, maiorem uim habent. Ita morbo rum causæ, si in corpus incidant, iam humoribus collectis abundant.

Qui male affecto corpore, uitæ ratione mor bum accersunt, ij quasi cœnum cõmouent.

Vt nautæ nimiũ onerantes nauem, deinde in exhauri

exhaurienda ſentina laborāt. Ita qui corpus one-
rant cibis, ac deinde clyſteribus inaniunt.

Qui corpus ægre affectum ad balneas, ac uo-
luptates trahit. Quaſi putrem, ac laceram nauem
deducit in mare.

Si ebrij comeſſatores irrumpant in domum,
luctu funeſtam, non ſolum nihil adferunt hilarita
tis, ſed eiulatum potius excitabunt, Ita uoluptates
in corpore ægro, offendunt quoq;.

Vt nautæ ſereno cœlo nonnihil laxant uela.
Cum eſt ſuſpicio tempeſtatis contrahunt. Ita cor
pori recte affecto nōnihil permittendū. Contra ſi
quid timebit morbi, cautius agendum.

Homines tantū pingues ac robuſti, duriq;, ſi-
miles ſunt gymnaſiorū columnis, ut dixit Ariſto.

Vt nauib9 ſentinæ plenis, onus detrahendū. Ita
corpibus aggrauatis, ſubducēdus cibus ac pot9.

Qui ita corpus exinaniunt pharmacis, ut pe-
regrinis rebus expleant, ac magis noxijs. perinde
faciunt, ac ſi quis expulſis ciuitate Grecis, inducat
Perſas, aut Scythas.

Veſtes quæ nitro, ſimilibusq; rebus lauantur,
magis atteruntur. Ita uomitus, pharmacis exorti,
magis offendunt.

Vt ſceleſtæ mulieres abortum prouocant, ut
rurſum impleantur, ac uoluptuentur. Ita quidam
in hoc ipſum corpus euacuant pharmacis & cly-
ſteribus, ut denuo liceat ingurgitare.

Qui a præſcripta uitæ ratione, ne tantulum quidem audent diſcedere, ij oſtrei uel ſtipitis potius uitam uiuunt.

Vt ferrum crebris imerſionibus conſumit. Ita corpus crebris permutationibus uitiatur, hoc eſt ſi nunc immodicis laboribus intendatur, nunc uoluptatibus liqueſiat, ac molliatur.

Nautæ a nauigandi labore turpiter conferunt ſe ad uoluptates, rurſum a uoluptatibus ad nauigationem redeunt. Ita quidam a delicijs ad labores, a laboribus ad delitias, ſumma uitæ inconſtantia ſeſe uertunt.

Qui malo addit opes, & gloriã, is febricitanti miniſtrat uinũ, bilioſo mel, cœliacis obſonia, quæ morbum animi, hoc eſt ſtultitiam augeant.

Vt qui morbo laborant cibos puriſſimos, & lautiſſimos faſtidiũt, & recuſant, ſi quis edere com pellat, ijdem reſtituti bonæ ualetudini caſeo quoq;, aut cepe lubenter ueſcuntur. Ita ſtultis magnifica fortuna iniucunda. Sapientibus etiam humilis, ac tenuis fortuna ſuauis.

Qui cibi dumtaxat cauſa ad conuiuium accedunt, quaſi uas adducunt implendum.

Miſtũ. Qui in eadem uehunt naui, & in ijſdem militant tentorijs, ſeſe mutuo ferant, oportet. Sic qui uerſant in repub. at in conuiuijs non idem eſt neceſſe. nam illic periculũ eſt cõmune, hic non itẽ.

Qui rogant quid ſimus facturi, ſi nõ edamus,

bibamus,

bibamus, & huiusmodi rebus utamur, perinde faciunt, quasi Danaides essent solicitæ, quid factu ræ sint, si dolium impleatur.

Qui e seruitute manumissi sunt, quæ dominis solent facere cum seruirent, ea faciunt sibi ipsis, suoque arbitrio & præsidio. Si nunc anima alit cor pus, multo labore, multisque curis, postea facta li bera seipsam alet, contemplatione ueri, nec ab ea poterit auelli.

Vt corpus est instrumentum animæ. Sic ani ma est instrumentum dei.

Vt grauiora corporis uitia, quæ in vulnus, & in tumores erumpunt. Ita animi affectus, qui gra uibus curis uitam reddunt molestam, ut uitium est, ex Atomis omnia nata credere. at non angit animum quemadmodum auaritia.

Non timet mare, qui non nauigat. non bellũ, qui non bellat. non latrones, domi manens, non calumniatorem pauper. non inuidiam priuatus. non terræ motum, qui est in Galacia. non fulmẽ, qui est in Aethiopia. At superstíciosus omnia ti met, terram, mare, aerem, cœlum, tenebras, lumẽ, strepitum, silentium, somnium.

Dissi mile.

Serui cum dormiunt, non timent heros, uincti obliuiscuntur compedum in somno, ulcera, carci nomata, & grauissimi etiam cruciatus conquie scunt. Sola superstitio, etiã dormientem infestat.

Dissi mile.

Tyrannum mutato solo licet effugere. qui de

Dissi- um timet, non est quo fugiat, quandoquidem
mile. nusquam est deus.

Dissi- Licet seruis postulare distractionem, & muta-
mile. re dominum, idem non datur superstitiosis, cum omnes deos metuant.

Si miseri sunt, qui duros nacti sunt dominos, quanto infœliciores qui dominis seruiunt uitijs, a quibus non possunt aufugere.

Dissi- Sunt aræ seruis, sunt statuæ, sunt asyla latroni-
mile. bus ad quæ confugiant, & ubi tuto sint. At hic maxime timet superstitiosus.

Vt Tigrides, si quis tympanis circumsonet in rabiem agi dicuntur, adeo ut seipsas denique dis cerpant. Ita quosdam offendit, quod alijs addit animum, puta musica, eloquentia &c.

Cum nauta uidet imminere tempestatem, pri- mum quidem deos inuocat, ut incolumi liceat in portũ appellere, mox contrahit uela, atque omnia nihilo secius parat, quibus est opus. Ita nos debe mus auxilio diuino fidere, sed sic ut nostram quo que industriam adhibeamus.

Item arator ab Hesiodo iubetur dijs sacrifica- re, deinde aggredi, & miles primũ inuocat opem diuinam, deinde armatur.

Vt tremũt, qui ursorum, aut draconum lustra adeunt. Sic superstitiosi cum tractant diuina, exi- stimantes deos semper paratos ad nocendum.

Qui diuos colunt metu alicuius mali, perin- de faciunt,

de faciunt, ut ij qui tyrannos uenerantur, ne no-
ceant, quos oderunt in animo.

Quidam dum stulte fugiũt latrones, aut feras, in auia incidunt & in barathra, aut præcipitia. Sic quidam superstitionẽ ita fugiunt, ut incidant in impietatem, cum in medio sit pietas,

Vt qui e uinculis emittunt licentius uagantur, q̃ ij qui nunq̃ fuerunt in uinculis. Sic pueritia cũ a præceptoris gubernatione soluitur.

Qui dimissi a pædagogis, suo relinquunt arbitrio, non abijciunt imperiũ, sed mutant principẽ. Nam pro pædagogo iam rationi parent.

Qui in ciuitatẽ asscripti sunt, & hospites, multa damnant, ac moleste ferunt. at qui in ea pueris sunt educati, quicq; assueuerunt, probant. sic qui philosophiam a pueris imbiberunt.

Vt Athletis amphotides adduntur contra plagas. Ita pueris focalibus magis est opus, aduersus pestilentem orationem.

Vt peius sentiunt de homine, qui dicunt eum esse iracundum, pernitiosum, q̃ qui negant eum uiuere. Ita minus male sentiũt de dijs, qui negant ullos esse, q̃ qui dicunt esse morosos, noxios, irritabiles. Ita ut faciunt superstitiosi.

Vt ager si non colatur, non solũ infrugiferus manet, uerumetiam multa syluestria producit. Ita adolescens rationis capax, nisi præceptis honestis exerceatur, non solum non euadet bonus, sed ad

multa uitia deflectetur.

In ludo sphærę, simul discunt & mittere, & excipere commode. at in doctrina prius est bene accipere, quam mittere, quemadmodum concipere prius est quam parere.

Vt aues subuentaneos concipiunt fœtus: Sic inutilis oratio accepta, nec inhærens, sed protinus in auras dispergitur.

Vasa ad excipiendum quod infunditur, accommodant, & inclinant sese. Sic qui discit debet accommodare sese, ne quid effluat eorum, quæ utiliter dicuntur.

Vasorum malorum & putrium, aures quibuslibet implentur potiusquam necessarijs. Ita quidam stultissima protinus discunt.

Qui equos recte alunt, os docent parere freno. pueros qui uolet instituere primum assuefaciat, ut dicto sint audientes.

Si quid in utres uelis īfundere boni, uentū, atque aerem emoueas oportet. Sic fastū ac tumorē eximas oportet ab animo eius quē uelis docere.

Malus cōsiliarius oīa deprauat assidens. Sic inuidia nulla magis dānat, quā quę sūt optime dicta.

Vt lumen. Ita nec oratio ulli prodest, nisi uolentibus accipere.

Vt œconomicis & amici prosunt & inimici, quemadmodum dixit Xenophon. Sic uigilans auditor, & cordatus non solum bene dictis, uerumetiam

rumetiam erratis aliorum fit eruditior.

Vt in alienis oculis nosmetipsos conspicimus. Sic in aliena dictione quid nos deceat, aut dedeceat contemplandum est.

Vt ad sacrum epulũ. Sic ad auditionẽ oportet placidũ ac beniuolũ accedere, ut benedicta ꝓbes candide, aut si parũ recte dicat, tacitus notes quãobrem errauerit, & animi conatũ certe probes.

Facile demoliri, quod alius extruxit, ac difficillimũ idem aut melius aliquid extruere. Ita aliorũ orationẽ reprehendere in procliui est. at eodem modo meliusue dicere, non perinde facile.

Vt multa belli inania, iuxta prouerbium. Ita & auditionis, puta supercilium, acclamatio, strepitus & id genus alia.

Quemadmodum in ijs quæ ad tibiam canuntur, multa fallunt, ac suffugiũt auditorem errata. Ita in oratione phalerata, multa inepte dicta fallunt auditorem ob phaleras, & fucos orationis.

Qui coronas nectunt, bellissima quærunt, non utilissima. at apes etiam amarissimo thymo insidunt, atq; inde mellificium colligunt. Sic oportet auditorẽ, non flosculos orationis uoluptatis causa sectari, sed uim sententiarum, & utilitatem.

Non oportet hoc animo ad audiendum accedere, quo ad spectaculum, puta ut tantum delectemur, sed ut meliores efficiamur. Dissimile.

Non conuenit, ut in tonstrina surgens, ad speculum

culum contempseris teipsum, num recte sis curatus. Ab oratione discedens, non expendas num melior sis factus, aut deterior ex auditione.

Vt balnei non purgantis. Ita nec sermonis ulla est utilitas.

Non sic ad audiendum est accedendum, ut uelis inungi & oblini fucis, quo nitidior fias, sed gratiam habeas. Si uelut alueare acri fumo. sic ipse moderaci sermone, purgeris animo, qui cæcutientiæ, & lippitudinis est plenus.

Qui bibũt, ubi desierint sitire, tum populi sculpturã contẽplant. Sic in orõne, primũ aĩaduertendum, q̃ salutare sit, quod dicitur, deinde si uacat, quid sit elegans, aut nitidum consyderare.

Qui statim orationis ornatũ requirit, perinde facit, ac si quis nolit antidotum bibere, nisi uas sit adductũ ex atticæ Veneris figulina, neq; in hyeme uestẽ induere, nisi q̃ lanã habeat ouiũ atticarũ.

Vt qui ad conuiuium accessit, utitur appositis, nec aliud requirit. Ita discentem tacite audire oportet, donec qui dicit perorarit, tum si lubeat utilem aliquam quæstionem proponere.

Vt apud Homerum Vlysses ridetur a procis, quod panis frustula peteret, non enses, neq; lebetes. Ita magis ridendi sunt, qui differenti minutulas, ac friuolas quæstiunculas obijciunt.

Vt qui claue uelit secare ligna, securi aperire ostiũ, utriusq; usu sese priuat. Sic qui dicentẽ alienis, ac fri-

nis ac friuolis quæstiunculis perturbāt, non solū nullū capiunt fructum ex ĳs quæ dicunt, uerum etiam mali uiri opinionē, atq; odiū lucrifaciunt.

Vt morbus non cęlandus est, sed in publicum efferendus, quo sanari possit, ut dixit Heraclitus. Sic inscitia non est tegenda.

Vt tragœdi in theatris. Ita philosophus in scholis est audiendus, nempe ad finem usq;.

Qui pecuniam dat, quantum impertit alĳ, tantum sibi detrahit. At non idem fit in laude, & tamen hoc imaginantur maligni quidam, parcius impertientes laudem, quam pecuniam. Dissimile.

Vt qui maligne dant alĳs, uidentur ipsi parum habere. Ita qui parce & maligne laudant alios, uidentur adhuc suas esurire, ac sitire laudes.

Iudex in causa nihil tribuens amori, tantū rem perpendit, ac secundum eam pronūtiat. At in audiendis philosophis, multis lapsibus candide fauēdum est. Vnde ueteres iuxta Mercurĳ statuam, Gratiarum item ponere soliti sunt. Dissimile.

Vt iuxta uias asperas, ac salebrosas uiolæ flosculiq; nonnunq; occurrunt. Ita in oratione infacunda, nonnunq; & sententiæ & figuræ incidunt dignæ quæ laudentur.

Vt hædera unde uis ex se iuenit, quo se alliget. Ita amor etiā ĳs capit, quæ non amantē offendūt.

Vt amantes candide interpretantur uitia quædam. Ita debent & auditores dicentium.

Bonus con-

Bonus conuiua, non existimat hoc tantum suarum esse partium, ut suauiter accipiat, cura sumptuque alieno, sed debet cõmodum uicissim exhibere conuiuã. Sic auditor non tantum audit otiosus, dicente solicito, sed vultu, oculis, applausu, fauore, iuuare oportet dicentem.

Vt in ludo sphæræ alterius est commode mittere, alterius scite excipere. Sic in audiendo conuenit utrunque suo fungi officio, tum eum qui disserit, tum eum qui auscultat.

Qui castam, ac philosophicam orationem meretricijs, ac sophisticis laudibus prosequũtur, perinde faciunt atque ij, qui Athletam lilijs, aut rosis coronent, non lauro, aut oleastro.

Vt nõ quæuis corona quẽuis decet uictorẽ. Ita nõ quæuis laus, aut quis honos quẽcunque hoiem.

Vt ridiculus sit cantor, qui rem grauẽ Lydijs efferat modis. Ita ridiculus qui de dijs, aut recte uiuendo uerba faciens, rhetoricis lasciuiat flosculis.

Dissimile. Non quemadmodũ parasitus conuitio tactus ab ijs, a quibus alitur ridet, ac nihil cõmouet. Ita a philosopho reprehensus debet esse affectus, sed nec offendi, oportet, nec impudẽter negligere.

Vt caro quæ callo obduruit, non accipit uibices plagarum. Ita animus assuetudine peccandi, non commouetur correptione licet acri.

Qui correptus statim fugit exosus admonitorem, perinde facit, ac si sectus a medico continuo

offensus

offensus aufugiat,non expectans,ut obligetur, & oblinatur vulnus ac mitigetur. Nam is quod do-let iam passus,quod confert non vult experiri.

Vt Thelephi vulnus eadem hasta sanatum est, quæ vulnus inflixerat. Ita vulnus obiurgationis ab eodem sanabitur,qui fecit.

Vt qui sacris initiantur,perferunt primos illos insultus spe securæ dulcedinis,ac lucis.Idem faci-endum ijs,qui a philosopho obiurgantur.

Vt priusq; assueuimus,multa nos offendũt in homine,quæ postea assuetis sunt etiam iucunda. Sic in literis,in philosophia prima illa tædia tole-randa sunt,donec usu fiant facilia,iucundaq;.

Vt uasa angusto ore difficilius recipiunt, sed retinent certius liquorẽ. Ita ingenia quæ tardius percipiunt,fere meminerũt tenacius.

Vt pulli inuolucres semper hiantes pendent de ore alieno. Sic quidam molesti sunt docenti, quod necessarium sit eis omnia mansa in os inse-rere,nihilq; tradant ipsi sibi.

Vt quidam crebris diuerticulis uiam breuem reddunt longam. Sic nonnulli docentem crebris quæstiunculis nihil ad rem pertinentibus inter-pellantes,perpetuam interrumpunt doctrinã.

Quemadmodum ignaui, cibiq; auidi canes, domi ferarum pelles mordent, ac uillos uellunt, feras ipsas in uenatu non attingunt. Sic quidam præpostere studiosi, de nugis agunt, caput disci-

plinæ non

plinæ non attingunt.

Diffi-
mile.

Non ut uasa, itidem ingenia desyderant repletionem, sed satis est accensio uelut incitamentum in materia, quo uis inueniendi, & cupiditas ueritatis incitetur.

Veluti si quis ignem petat a uicino, deinde illic luculento reperto foco desideat, maneatq;. Ita quidam semper assident præceptori, nec accendunt ingenium suum, ut domi suo fruantur igni.

Quemadmodũ iuxta Philoxenũ, suauissimæ sunt carnes qui non sunt carnes, & iucundissimi pisces, qui non sunt pisces. Ita maxime delectat admixta phiæ poesis, & poesi admixta phia.

Vt in obsonijs non solum sequimur uoluptatem, sed etiam salubritatem. Sic in audiendis, & legendis authoribus.

Frustra clauduntur portæ ciuitatis, si una relinquatur aperta, per quam hostes irrumpant. Ita non satis est in cæteris temperatum esse, si auditus pateat pernitiosis sermonibus.

Vt diligentius seruanda est ea porta, qua uia sit ad regiam. Ita cautius seruãdus auditus, quod maxime sit cum rationali animi parte coniunctus, & quod per eam admittitur, maxime potest uel iuuare, uel lædere.

Quidam Amethystum adhibent in compotationibus aduersus ebrietatem. multo magis in audiendis poetis præcepta sunt adhibenda, ne

quid infi-

quid inficiant animum.

Vt in his locis, ubi multę nascunt͂ herbæ ad remediū efficaces, in ijsdem multæ nascunt͂ lætales. Sic in poetis multa præclara, multa pestifera.

Vt Simonides dixit, stupidiores esse Thessalos q̃ ut a se decipi possent. Ita qui fœliciore sunt ingenio, citius a poetis corrumpuntur.

Quemadmodū Vlysses auribus cæra obduratis, Sirenum periculum præternauigauit. Ita nos si quid incidit blande fœdum in authoribus, præteruehi oportebit.

Si multi inebrientur uino, non ob id incidendæ uites. Ita ut fecit Lycurgus, sed propius admouendi fontes. Ita si multi abutuntur poetica, non protinus abijcienda, sed adhibenda cautio, ut fiat salutaris.

Vt mādragora iuxta uites nascens uinum reddit lenius. Ita philosophiæ ratio admota poeticæ, moderatiorem efficit eius cognitionem.

Quemadmodū in picturis, plus mouet color, q̃ꝫ lineæ, propterea quod propius hominis formā repræsentet ille, magisq́ꝫ fallat. Ita mendacium admixta ueri similitudine, magis allicit mouetq́ꝫ, q̃ꝫ simplex oratio, quæ nihil habet fuci.

Non ut inuenire licet sacra sine tibijs, & choro. Ita poesim absq́ꝫ mendacio licet inuenire.

Venenum ad mixtum cibis. pestilens sentētia admixta rebus utilibus, ac iucundis.

Vt fœdis animantibus ſcite effictis delectamur. Ita in poeſi, quia eſt rerũ adumbratio, etiam mala recte efficta delectant.

Vt in parricidio, aut inceſtu depicto, artem mo do laudamus eius qui pinxit, rem ipſam deteſta mur. Itidem in poetis elocutionem imitabimur, rem execrabimur.

Quædam per ſe nõ pulchra, quibuſdam ob id bona ſunt, quod apta. Ita laudantur in poetis quę dam, quod cõgruunt perſonæ. tametſi alioqui fœ da, Demonides Claudus præcabatur, ut crepidæ quas furto amiſerat, quadrarẽt ad pedes eius qui ſuſtuliſſet.

Vt periculũ ſit, ſi omnes in idem inclinẽt latus nauis, ſed alijs alio inflectentibus, nauis optime li bratur. Sic ſedicio & diſſentio inter thetores, tutio rem reddit ſtatum ciuitatis. Item diſſentio poeta rum inter ſe facit, ut minus inficiant opinionem lectoris.

Quemadmodum medici Cantharidis, quæ le tale uenenum eſt, pedibus tamẽ & alis ad remediũ utunt. Ita licet ex eadem poeſi decerpere, quo me dearis illius ueneno. Nam ſemper aliquid admi ſcent, quo ſignificant ſe damnare, quod narrant.

Qui omĩa ſtudent exprimere, multa praua imi tantur imprudentes. Quemadmdum Areſtotelis balbutiem, & Platonis incuruos humeres famili ares exprimebant.

Non quemadmodũ omnia supstitiose metuimus, ac reueremur in sacris. Ita oportet in authoribus omnia uenerari, sed audacter adhibito iudicio, probare quædam, quędam improbare.

Dissimile.

Non sic est parendum poetis, aut phĩs quemadmodum pueri obtemperant pædagogis, sed quemadmodum Cato puer, parebat quidem pędagogo iubenti, sed rogabat quam ob causam id iuberet. Ita fides habenda authoribus, si causam idoneam reddiderint.

Dissimile.

Quemadmodum in uite, luxuriantibus folijs, ac palmitibus sæpe fructus occultantur. Ita in poematis, figuris, ac fabulis luxuriantibus, multa cognitu utilia, fallunt adolescentem.

Quemadmodũ in ijsdem pascuis apis florem sequitur, capra fruticem, sus radicem, quadrupedia fructum. Sic in poetis alius aliud quærit. hic historiam, ille sermonis ornamenta, ille probationes, ille præcepta uiuendi.

Vt equis non in ipso cursu frenum inijcimus, sed ante cursum. Sic qui propensi sunt ad irã, aut libidinem, ante rationibus, ac monitis refrenandi sunt, priusq̃ inpericulum uentum sit.

Vt apis ex amarissimis floribus, & asperrimis spinis mel suauissimum, ac lenissimũ colligit. Sic ex turpibus, ac sceleratis fabulis, utcunq; decerpi potest aliquid utilitatis.

Vt freno circumagitur equus, ut clauo nauis.

 Ita ora-

Ita oratione ducuntur homines.

Quemadmodum medici pharmacum, ad unicum morbum repertum, ad omnes similes, ac finitimos accommodant. Ita conuenit authorum dicta, ad uarios usus accommodare.

Vt qui uestes flagellant, corpus non attingūt. Sic qui generis uitium, ac paupertatem exprobrant, non proprie tangunt ipsum hominem, sed externa calumniantur.

Vt qui subito e summis tenebris in lucem educitur, magnopere perturbat̃, nisi paulatim lumini assueuerit. Sic in poetis prælegendis phōrum opiniones inspergendę in aīos puerorū, ne postea ad tam diuersas doctrinæ rōnes perturbent̃.

Frustra suber appendit̃ retibus ut natēt, si plumbum annexū deorsum trahit, & in æquo tenet. Ita frustra præceptis bene uiuendi instituimur, si malitia addita non sinit e stultitia emergere.

Vt in curatione non sentit̃ morbi leuamē, nisi syncerus habitus inducat̃. Sic in philosophia non proficitur, nisi paulatim aliquid discedat de stultitia, donec in aliū mentis habitum proficiat̃.

Dissimile.

Non ut Cæneus subito e muliere factus est uir, optando tantum. Sic repente ex improbo uiro, probus euadit quispiam, ut qui cubitum abijt stultus, surgat sapiens.

Vt ad lineam applicandus est lapis, non ad lapidem linea. Sic uita ad phōrum decreta corrigēda est,

da est,non ea sunt ad mores nostros trahenda.

Vt paulatim umbra remissa sentimus nos magis esse in lumine.Ita sensim imminuta stultitia in sapientia proficimus.

Vt qui in imenso nauigãt mari ex ipa uentorũ cursusq; tpe conijciunt se promouisse, etiam si nondum appareat portus, nusq; tamen consistunt,donec portũ attigerint. Ita non cõquiescendum in philosophia, donec ad perfectum illum sapientis habitum peruentum sit.

Vt qui paulum addit paulo, idq; frequenter facit,ingentem aceruum accumulat.Ita assiduitas ad bonam mentem parandum plurimũ ualet.

Qui subinde subsistit in uia minus proficit.At in philosophia etiã relabimur in malitiã intermisso ad honesta cursu,ceu nauis retroacta æstu.

Planetæ iuxta mathematicos cum desinũt procedere figuntur. At in philosohia subsistere non licet,sed assidue est progrediendum.

Vt statera non potest cõsistere,sed aut in hanc, aut in illam uergit partẽ. Sic in philosophia, qui non proficit ad bonam mentem,is reuoluitur ad malam mentem.

Dissimile.

In bello nunq; remittendæ sunt excubiæ. Ita semper aduersus uitia nobis dimicandum.

Vt culmus primũ in altum surgit impetu. deinde crebris geniculis intersecatur, postremo in summo uenti flatibus laborat. Sic quidam initio

 seruent,

feruent, deinde subinde subsistunt, & offendũtur, in extremo deficiunt defatigati.

Vt qui leuiter amant, gaudent quidem amico præsente, absentis facile obliuiscuntur. At qui penitus amant, non sinunt abesse quod amant. Sic quidam facile auocãtur a studio philosophiæ negotijs. At qui uere amant omnium præ illa obliuiscunt̃, nihilq; illis sine illa dulce esse potest.

Dissimile. Non quemadmodum unguentis, cum adsunt delectamur, cum non adsunt, non discruciamur. Ita oportet erga philosophiam esse affectũ.

Vt qui uehementer esurit aut sitit, nulla re potest auelli, donec sedauerit appetentiam. Sic om̃ia posthabenda sitienti sapientiam.

Quemadmodum graue est nauim ingressis, cum terra discedit, quam agnoscunt, & nondum apparet, ad quam nauigant. Sic philosophantibus initio molestum, a consuetis discedere commodis, cum nondum uideant ad quam fœlicitatem philosophia sit perductura.

In philosophiæ studio, re per metamorphosin quadam, quidã uelut aues facti conferũt ad contemplationẽ naturę, quidã ceu catellæ ad rixas, & morsis sophismatũ, & quæstiuncularum.

Quemadmodum Anacharsis dixit, Athenienses ad nihil aliud uti nummis, nisi ad numerandum. Ita quidam utuntur philosophiæ præceptis, tantum ut ostentent.

Vt apicula

Vt apicula ex flosculis succum mellis colligit, cum alij non delectentur, nisi colore & odore. Sic philosophiæ studiosus, & ex poetis inuenit, quod ad bene uiuẽdum conducat. cum alij tantum uoluptate deliniantur.

Qui in Platone, & Demosthene nihil quærunt, nisi puritatem attici sermonis, quid aliud agunt, quam ij, qui in Pharmacis nihil amant, nisi fragantiam & nitorem, uim purgandi, seruandiq; negligunt.

Vt non medentur, qui uendunt pharmaca. Ita non sunt philosophi, qui quicqd e philosophia sumpserint, id transferunt ad ostentationem.

Vt auis quicquid pabuli nacta est, in pullos transfert protinus, ipsi nihilo melius est. Ita quidam ideo discunt, ut statim doceant, ipsi nihilo meliores euadunt.

Vt uerus amor erga mulierem, non desyderat testem, sed sat habet, si clam ea patiatur. Ita uir sapiens recti conscientia contentus. At qui ficte amant, ostentant, & iactant.

Vt agricolæ lubentius uident spicas inclinatas, q̃ erectas in altum. Nam illas onustas fructu intelligũt, has inanes. Sic adolescentes priusq̃ profecerunt in philosophia, tumẽt, ubi doctrinæ fructum perceperint, submittunt sese.

Vt e uasis cum explentur liquore, aer expellit. Sic qui profecerunt in philosophia, ueris implentur bonis,

tur bonis,ac minus iam gloriant̃ barba,& pallio minusq́ sæueri sunt in alios, in seipsos duriores.

Vt initiantur homines clamore, ac tumultu deinde cum sacra fiunt taciti ac uenerabundi auscultant. Ita initia philosophiæ tumultuosa sunt, tranquilla mysteria.

Vt in tempestate apparentibus geminis, nautæ in spem eriguntur. Ita post primam illam in philosophia desperationem, lux ueritatis oborta, discutit eam diffidentiam.

Menedemus aiebat multos nauigare Athenas, qui primum essent sapientes,deinde fieri philosophos,id est sapientię studiosos, deinde rhetores,postremo idiotas.Sic in philosophia quo magis profeceris hoc minus turgebis fastu.

Qui dentibus laborãt, protinus medicum adeunt,malum exponunt,qui febre tenentur, accersunt.At phreneticus,nec accersit,nec admittit,ob morbi uehemẽtiam. Ita qui uitia sua cælant, nec admonẽtem patiũtur,de his nulla salutis spes est.

Vt qui laborant, non affectant haberi ulcerosi,sed magis fugiũt esse,q̃ uideri. Ita non est affectandum, ut uidearis malus, sed magis abominandum,ut sis talis, q̃ ne uidearis.

Diogenes uidens adolescentulum quendam in Popina, eiq́ pudore intro fugienti, quo interius inquit fugeris, hoc magis eris in Popina. Ita uitiosi, quo magis abdunt sese intra seipsos,

hoc ma-

hoc magis sunt id quod sunt, foras prodeant oportet, si cupiunt effugere seipsos.

Vt qui egent, hoc magis ac molestius egent, quo magis dissimulant egestatem. Sic qui uitiosi sunt, ac dissimulant ob fastum & arrogantiam, peiores sunt.

Vt equi iam mansuefacti, etiam si auriga non utatur habenis, tamen suapte sponte, rectam pergunt ire uiam. Sic affectus a ratione iampridem domiti, & assuefacti, nec in somnis, nec in morbis sopita ratione quicquam tentant turpe.

Vt corpus assuefit, ne conniueant, aut lachrymentur oculi, ne palpitet cor. Ita multo magis animus, ne phantasijs commoueatur.

Quemadmodũ cum morbus in corporis parteis nõ suas transfertur, signum est morbi parantis abire. Sic cum offendimur, quibus consueuimus delectari, indicium est futuræ sanitatis.

Vt non est uerus amor, qui caret zelotypia. Ita non amat uehementer uirtutem, nisi qui ardet æmulatione recte factorum ab alijs.

Vt acer equus, suapte sponte facile currit. Ita qui ardet amore uirtutis, nõ eget admonitore.

Vt amanti omnia placent in amato, Sic in eo, in quo uirtutem amamus etiã gestum, incessum, & aspectum imitari gaudemus.

Vt qui uere amant etiam balbutiem, ac pallorem adamant in amatis. Sic admiratori uirtutis,

 non hor-

non horret Aristidis exilium, nec Socratis paupertatem, nec Phocionis condemnationē.

Vt qui se comūt, adhibēt speculū. Sic gesturus negotiū, ꝓponit sibi laudatorū uirorū exempla.

Olim ediscebant nomina digitorum, ijsq; aduersus terrores, ueluti remedio utebantur, singulis lente recitatis. Sic aduersus omneis animi perturbationes, exempla quædam optimorum uirorum habenda sunt in promptu.

Vt qui desperat se fore diuitem largius impendit. At qui iam spe uicinus est opulento, is nec pusillum contemnit lucellum, & minimis parcit. Ita qui confidit se fore bonum uirum, & minima uitia studet corrigere, & nihil negligit, quod aliquo modo conducat ad bonam mentem.

Qui sepem, aut aggerem construunt quæuis congerunt, lignum, saxum, aut columnam a sepulchro delapsam. At qui regiam ædificat, nihil temere componit. Sic uir bonus nullam uitæ partem negligit incompositam.

Dissimile. Licet inuenire regionem, ubi uenena non sint, quemadmodum affirmant de Creta. At non licet inuenire rempublicam, quæ non alat inuidiam, contentionemq;.

Vt Priscis satis erat, si à feris non læderentur, posteriores etiā in suum cōmodū uertere cœperunt, pellibus uestiri, carnibus uesci, felle mederi. Sic nobis agendum est, ut ab inimicis nō solum

non læda

non lædamur, uerumetiam adiuuemur.

Non poteſt quæuis arbor miteſcere, neq; quæ‑libet fera cicurari, proinde hæc quoq; qua poſ‑ſunt in ſuum uertunt uſum. Sic qui ad amiciti‑am adduci nõ poſſunt, horum odio ad noſtrum commodum abutemur.

Aqua maris inutilis potui, ſed alit piſces, ſeruit nauigãtibus. Sic ex una quaq; re quod ineſt com moditatis, excerpendum eſt.

Prometheus, Satyrum cum primum uidens ignem uellet amplecti, admonuit eum exurere contingentem. At oculis præbere lumen calfacit inquiens, & ſeruit artibus. Sic eadem res, utcunq; utaris, ita pernicioſa eſt, aut utilis.

E corporis morbo quidã hoc excerpunt com‑modi, quod uacant negotijs, quibus diſtringe‑bãtur. Et quoſdam labores obiecti, reddidere ua‑lidos. Sic quibuſdam exilium, paupertas, naufra‑gium, occaſio fuit philoſophandi.

Quemadmodum qui ſtomacho ualent, & ani mantia ſaniſſima, ſaxa, ferrum, ſerpentes, & ſcor‑pios concoquunt, eaq; in nutrimentum uertunt, contra ualetudinarij, etiam pane & uino offen‑duntur. Sic ſtulti & amicitias perdunt ſapientes etiam inimicitijs recte norunt uti.

Lynceus per quercum uidet, inimicus etiã per famulum, per amicum perſpicit, quid agas.

Vt uultures ad extincta corpora odore ferun‑

tur, ſana

tur, ſana non ſentiunt. Sic inimicus, ſi quid deli-
queris ſtatim olfacit, atq; eo confeſtim accurrit, ad recte facta ſtupidus.

Vt hoſtis ſemper iminens muris, in cauſa eſt, ut uigilet, ac ſobria ſit ciuitas. Sic inimicus obſer-
uans, qd agas, facit, ut nihil agas, dicasue temere.

Dionyſiaci ſæpe negligenter inter ſe canunt in theatris, uerum cum certatur, tum multo diligen-
tius agunt omnia. Sic accuratius gerit rem, qui ſcit uitam ſuam ab aduerſario obſeruari.

Abſurdum exiſtimant obprobrare cuipiam corporis uitium, a quo non ſis ipſe immunis. At multo magis ridiculum, animi uitiũ in alterum conijcere, quod in te recidat.

Quemadmodum Telephus, quoniam care-
bat amico, coactus ab hoſte petere remedium, ac medelam vulneris. Ita qui non habent liberos a-
micos, a quibus admoneantur, ſæpenumero ab inimicis audiunt ſua uitia.

Item, ut Telephus non reſpexit hoſtem, cuius erat haſta, ſed ſalutem quã adferebat. Ita nõ opor tet offendi inimici conuitio, ſed ſi uerum admo-
net, uertendum eſt ad uitæ correctionem.

Vt ille Theſſalum Prometheũ uolẽs occidere gladio, diſſecuit tuber, ac ſanauit. Ita ſępenumero cõuitiũ per iracundiã dictum ab inimico, uitium animi uel ignotũ nobis, uel neglectũ ſanat.

Vt qui luctant̃, non abſtergũt ſuũ puluerẽ, ſed ſe mutuo

se mutuo contaminãt, ut mutuo cadant. Sic qui-
dam accepto cõuitio, non id purgant, sed obser-
uant, quid uicissim in illos possit torqueri.

Vt si uel inimicus ostendat lutum adhærens
uesti, non reijcis in illum, sed abstergis. Ita si quis
ostendat maculam uitæ, non regerendũ est con-
uitium, sed abstergenda labes.

Vt inueterata consuetudo etiã si lædat, tamen
haud facile propellitur. Ita simultas, inuidiam, ze-
lotypiam, mali memoriã in animo relinquit.

Quemadmodũ a feris exorsi, didicimus & ho
mines iugulare. Sic assueti inimicis male facere
(quod iustũ existimatur) nisi cauemus discimus
paulatim, & erga quosuis eadem facere.

Vt non est Corydalis absq; crista. Ita non est
ingenium absq; inuidia innata.

Vt cupimus cloacas q̃ longissime ab ædibus
nostris abesse. Ita inimicos uitiorum purgamen-
ta reijcere profuerit.

Vt Onomademus noluit omneis tolli, qui di-
uersarũ fuissent partiũ, ne sublatis inimicis omni-
bus, cum amicis (inquit) incipiamus digladiari.
Ita consumptis in hostes huiusmodi affectibus,
magis comes sumus erga amicos.

Vt agricolæ iuxta allia & cepas, serunt rosas,
quod quicquid est in illis molesti odoris, in hæc
transeat. Sic inimicus, si quid est in nobis mali ani
mi, id totũ in se recipiens, ac consumẽs, reddit nos
amicis iu-

amicis iucundiores.

Perinde ac si mutilus, ac cęcus metuat, ne Briareus fiat Centimanus, aut Argus centoculus. Ita quidam metuũt, ne plurium sint amici, cum nec unum adhuc uerum habeant amicum.

Vt mulier impudica, cum multis se commiscens nullũ certum habet amatorem. Ita qui multorum appetit amicitiam.

Vt puella quæ in pratis alium post alium flosculum decerpens semper nouis arridentibus capitur, priores negligit. Sic qui multas instituit amicitias, ac mox saturatus, alias quærit.

Vt fluuius in multos diductus riuos, fluit tenuis, ac languidus. Sic beneuolentia in multos distracta languescit, & euanescit.

Vt animãtia, quæ unicũ pariunt fœtũ uehemẽtius amãt. Sic erga unũ ardentior est beneuolẽtia.

Quemadmodum muscæ in Popinis non manent, si desit nidor. Ita vulgares diuitũ amici, non perseuerant, si non adsit utilitas.

Veluti qui numũ adulterinũ. Ita qui amicũ habet non exploratũ, ubi senserit improbũ esse, cum priuatur eo, gaudet, cum habet, optat effugere.

Vt malũ cibum, nec retinere possis citra noxã, nec reĳcere sine molestia. Ita malum amicũ, si teneas, lædit. nec tamen absq; inimicitia, ac tumultu, ueluti bilem potes abĳcere.

Vt rubo spinisq; complectentibus non discussis, ad

cussis, ad uitem aut oleam tendimus. Ita non quēuis obuiam oportet in amicitiam admittere, sed ad idoneos, reiectis alijs eundum est.

Vt Zeuxis lente pingebat, quod diu duraret. Ita diu explorādus amicus, q sit perpetuꝰ futurus.

Vt diligenter conpingitur nauis, quæ sit in tempestatibus præsidio futura, & agger uarijs casibus oppositus. Ita diligenter probandus amicus, quo sis usurus ad omnia.

Quemadmodum lac coagulo concrescit. Sic hoies conpingūtur, & unū fiunt amicitia.

Vt alijs uenti secundi sunt, alijs aduersi. Ita alijs fortuna fauet, alijs aduersatur.

Vt Briareus centum manibus quinquaginta pascens uētres nihilo fœlicior erat nobis, qui duabus unum administramus. Sic tantundem commoditatis capies e paucorum amicitia, quantum e multorum, pensatur enim incōmodum, si pauci inseruiunt, paucis est inseruiendum.

Vti Creon filiam nihil adiuuit, sed eam cōplexus una cum illa perijt incendio. Sic quidam fœlicibus amicis nō fruunt, cnm infœlicibus pereūt.

Vt bruta, si ui cōmisceantur diuerso generi, discedunt indignantia, & grauiter ferentia. Sic inter similes placide coit, & cohærent amicitia.

Musica Symphonia constat e diuersis, puta grauibus & acutis inter se ratione compositis. At amicitia constat similibus.

Dissimile.

Non ut Po

Dissi- mile. Non ut Polypus se quibusuis locis. Ita nos debemus nos quorūlibet moribus accōmodare.

Dissi- mile. Polypus superficiem, & colorem dūtaxat mutat. At amicus uere similis esse debet amicis, & moribus, & affectibus, & studijs.

Dissi- mile. Non ut Proteus præstigijs sese in oēs uertebat formas, nec ullam habebat certam ac propriam. Sic oportet nullo certo uitæ instituto cum studioso legere, cum palæstrico colluctari, cum uenandi studiosis uenari, cū bibosis simul inebriari, cum ambitioso, ambire magistratum.

Vt qui ꝓpriā domū non habet, per multas domos uagat̃. Ita qui certū uitæ institutū non sequitur, nunc in horū, nunc in illorū mores transit.

Vt prima materia quibuslibet formis uariatur, cum propriam non habeat. Ita animus multorum amicitiæ subiectus.

Eruggium herbam, si uni capræ in os inseras, cum ipsa sistitur, tum omnes consistunt, donec pastor herbam eximat. Ita principis mores mira ui in populum transfunduntur.

Vt Ixion Iunonē persequēs in nubē incidit. Sic multi in fucatā, & vulgarem amicitiā incidunt.

Vt lumē magis prodest ijs, qui uident, ꝙ qui uidētur. Sic gloria magis confert ijs, qui eam sentiunt, quam quibus contingit.

Vt grauius puniendus, qui lætiferum uenenū nō in unum calicem, sed in fontem, unde bibunt omnes

omnes iniicit. Sic magis peccãt, qui principis cor rumpunt ingenium, q̃ qui priuati hominis.

Vt sacrificis honorem habet ciuitas, quod cõmune oim bonum a diis petant. Ita multo magis honorandus principis præceptor bonus, qui talem fingit, ut omnibus sit utilis futurus.

Vt artifex lubẽtius faciat lyram, qua sciat Amphionis arte Thebanorũ urbem cõdendam, q̃ eam qua Thales Lacedæmoniorum seditionem composuit. Ita philosophus lubentius formabit ingenium principis, orbi profuturum.

Vt mendũ q̃d induruit ac diutius inhesit, difficile tollitur. Ita uitia inueterata nõ facile corrigũt.

Vt liber post lituràs iterum infectus non facile emaculatur, quod altius inbiberit atramentum. Ita animus sæpe in eadem relapsus uitia.

Veluti si quis cæcus in quempiam incidat, illũ cæcum appellet, qui non uitauerit. Sic nos fortunam facimus cæcam, in quam nostrapte incidimus cæcitate.

Vt quemadmodum si Sol non sit, per reliqua astra noctẽ ageremus. Ita quantũ ad reliquos attinet sẽsus, nihil differemus a brutis, nisi ratio adsit.

Vt pictor ille spumã equi quam arte nequibat exprimere, impacta in os equi spongia uariis inbuta coloribus, casu expressit. Sic quędã casus cõficit, quæ puidentia, curaq̃ nr̃a, nõ possunt effici.

Vt non debet sumere citharam, qui canẽdi sit

 imperitus

imperitus. Ita non debet imperitū sumere, qui nō sit prudentia præditus.

Vt medici in uehementi fluxu pituitæ non statim succurrūt pharmacis, sed foris admouent, q̊d tempore concoquat humorem, ac tum medent̃. Ita recenti dolore tacendum, donec tempore mitior admittat consolationem.

Vt in Democratia, cui sorte contigit imperiū, eum oportet imperare. Cui non cōtigit, eū oportet æquo animo ferre. Sic in uita hominum quod sors dederit, boni consulendum est.

Vt terræ fœtus aliquādo copiose proueniunt, aliquando maligne. Et in animantibus aliquādo fœtura fœlix, aliquādo sterilitas est. Et in mari aliquando tempestas, aliquando tranquillitas. Sic in uita uarij fortunæ casus.

Vt suus cuiq; arbori fructus. Ita luctus non est alius fructus, q̄ lachrymæ.

Vt nemo miratur liquefactum, quod potuit liquescere, sectum quod erat sectile, exustum quod erat exustibile. Ita mirādum non est mortuū esse, qui erat mortalis.

Quemadmodum ex eodem luto licet fingere animantia, ac rursum confundere, atq; continēter aliud ex alio facere. Sic natura ex eadem materia genuit maiores nostros, his extinctis nos, deinde alios atq; alios.

Quemadmodū mutua pecunia æquo aĩo reddenda

denda est. Sic uitę munus quā mutuo accepimus a dijs, citra quærimoniam est reponenda.

Vt non qui multum cecinit, aut rhetoricatus est, aut gubernauit, laudatur. Sic non qui diu uixit, sed qui bene.

Quemadmodū quod in tessaris cecidit, id arte & ratione ꝙ potest optime disponendū. Ita quod in uita accidit, in optimā uertendū partem.

Sicut mensarij non grauatim reddunt deposita pignora, ut quæ in hoc ipsum acceperint, ut restituant. Sic nos quod a dijs accepimus.

Quemadmodum araneæ ex se telas texunt. Ita quidam ex seipsis cōminiscantur fabulas ac mendacia, cum nihil subsit ueri.

Quemadmodum Iris nihil aliud est ꝙ relucentia Solis, refracti in nubibus. Ita fabula, quædam est ueri repræsentatio.

Fumus initio ingens facile euanescit. Sic gloria falso parta.

Vt fugitiuis ab altaribus, ac templis reuulsis, nihil superest, præter mortuorum sepulchra. Sic qui uera, suaq; gloria destituti, maiorum imaginibus efferunt sese.

Non utimur aqua turbata, nisi constiterit. Multo minus utendum est animo commoto, priusq; ad se redierit. Ita Socrates.

Si qua terra referta sit saltubus, feris, & herbis syluestribus, multoq; limo, protinus displicet im-

 perito co-

perito colono. At peritus agricola ex ijs ipsis con iectat soli molliciem ac feracitatem, tantoq; im- pensius dat operam, ut eam repurget. Sic magnis ingenijs, magna uitia solent innasci, quæ nõ con- uenit statim tollere, sed potius mederi. Expectan- da ætas, donec ad frugem bonam reducant.

Quemadmodum Aegyptij lege iubebantur expectare, donec peperisset, si qua grauida mor- bo fuisset correpta. Ita non est facile abijcienda spes in hominum erratis.

Vt Hyenæ fel, & Phocæ coagulum, atq; aliæ pessimarũ ferarum partes, aduersos magnos mor bos efficax habent remediũ. Sic deus pessimis ty- rannis utit nonnunq;, ad correctionẽ uitiorum.

Quemadmodum agricola non prius incidit spinam priusq; asparagum inde cœperit, & Li- byes non ante incendunt sarmẽtum, q; T us col- legerint. Ita deus non excidit genus regum pesti- lens, priusq; hinc fructus aliqs bonus cõtigerit.

Dissi- mile.

Cantharides & Scorpij in se circumferunt sui ueneni remedium. At ipsi peccato inest sua pœ- na, suppliciumq;.

Vt pueri quidã admirant, ac fœlices iudicant nebulones miseros, cũ in scœna saltant, aureis in- duti. Sic stulti fœlices existimãt diuitijs onustos.

Vt qui diutina tabe conficiuntur, non effu- giunt mortem, sed lente moriuntur. Sic qui non statim puniuntur, non effugiunt pœnam, sed lon

ga ducun-

ga ducuntur pœna.

Vt qui in carcere detinentur, unde non ſit effugium, tamē aliquando ludunt teſſaris. Sic qui in uita uoluptatibus utuntur, cum ſint ſcelerati.

Vt amnes quidam repente ſe condunt ſubterram, nihilominus eo perferuntur, quo tendunt. Ita numinum iræ licet occultæ, tamē in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes.

Vt qui æſtuant febribus æque calent, ſiue unā inſtraueris ueſtem ſiue plures, tamen in ſolatium illorum multitudo ueſtium tollitur. Sic obſeruiendum quibus mederi non poſſis.

Quemadmodum Iſchiacis medici pollicem inurunt, & cum alibi doleat, alibi admouent remedium. Sic deus nonnunq̄, ut patres ſanet, ſæuit in filios.

Vt Scorpius non tum modo putandus eſt habere aculeum cum ferit, ſed ſemper eſt obſeruandus. Ita malis prognati, etiam ſi non peccent, tamen uenenum habent.

Vt medici quibuſdam morbis occurrunt, priusq̄ appareant. Ita deus quædā punit, ne fiant.

Qui uincit in certaminibus, præconē adhibet, quo uictor pronuncietur. Multo magis uera uirtus alieno debet ore laudari, non ſuo.

Quidam fame coacti, cum deeſt, quod edant, ſuis ipſorum artubus turpiter ueſcuntur. Sic quidam ſiti gloriæ, cum deeſt, qui laudet, ipſi lau-

 dant ſeipſos,

dant seipsos, non sine dedecore.

Vt qui inambulantes attollũt sese ac dilatant, fastuosi uocantur. At laudantur, qui itidem faciũt in pugilum certamine, aut in pugna, & uocantur fortes, & inuicti. Sic qui in rebus aduersis erigit animũ, fortis habetur & insuperabilis.

In tẽpestate confugiũt sub arborẽ, serenitate facta ramos illius uellunt fugientes. Sic in rebus afflictis utimur præsidio quorundã, quos eosdem per inuidiam affligimus in rebus prosperis.

Qui obseruant, ne molesti sint lippientibus, umbram aliquam admiscent lumini. Sic qui laudibus suis aliquid erratorum, aut uituperationis aspergunt, ut inuidiam effugiant.

Vt non inuidetur his, qui domũ, aut agrum magno emerunt, sed quibus gratis contigit. Ita nemo his inuidet, qui gloriam magno sibi pararunt, sed quibus fortunæ fauore contigit.

Quemadmodũ iubemur, aut omnino cauere locum pestilentem, aut si in eo sis, circumspecte agere. Sic aut omnino uitandũ, ne laudes teipsum, aut id cautim, & circumspecte agendum.

Qui esuriũt, magis irritant, si cõspexerint alios edentes, sic magis inflãmantur ad gloriã, qui gloriæ sunt auidi, cum alios audiunt laudari.

Non oportet titillare, qui natura ꝓcliues sunt ad risum. Ita non oportet laudare, qui glorię suapte sponte sunt appetentiores.

Pictores

Pictores ſeponunt ad tempus opera ſua, tum ex interuallo rectius iudicaturi, nam aſſiduitas in cauſa eſt, quo minus bene iudicent. Sic nos rectius iudicamus amicos, quos ex interuallo reuiſimus. Ac de nobis ipſis quoniam adſumus aſſidue, minus recte iudicamus.

Qui ſe una cũ ipſis ædibus incendũt, oĩa intus tumultu cõplent, ut nec uidere poſſint, nec diſpicere quid ſit utile. Sic ira cõmotus animus.

Dissimile.

Nauis deſerta recepit gubernatorem, ſi quis uelit in portum reducere. At animus ira percitus, non admittit gubernatricem rationem aliunde, niſi intus ratio clauum arripiat.

Quemadmodũ qui expectant obſidionẽ, colligunt ac deponũt pecuniã, atq; oĩa parant ſub hoſtiũ aduentũ. Ita aduerſus aſſultũ iracundiæ, præceptis phĩæ muniẽdus & inſtruendus eſt anĩus.

Vt in tumultu nõ audimus q̃d nobis dicat̃. Ita irati non admittimus alienũ conſiliũ, niſi ratio loquat̃ intus, quæ tumultũ animi cõpeſcat.

Vt munita tyrãnis ab alienis tolli non poteſt, a familiaribus poteſt. Ita concitatus animus, ex ſe præbet, quo ſoluatur ira.

Vt ferrum tenue & infirmum, ſi denuo fodiatur, facile frangitur. Sic animus ſæpe commotus ira, qualibet de cauſa cõmouetur.

Vt non magno negotio flamma extinguitur in pilis leporinis, aut ſcirpis, aut ſtipulis accendi

 cœpta. At

cœpta. At non item si solida corripuerit. Sic ira primum gliscens, facile uel ioco, uel risu compe-scitur, cum uidemus fumantem adhuc. Quod si processerit, uix ullo negotio possit extingui.

Vt nautæ præsentientes tempestatem, ancho-ris firmant naues. Ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, & in di uersum nitendum.

Dissi-mile. Amor leuatur cantu, corollis, osculis. At ira si indulgeas, exasperatur.

Vt prima tyrannidis solutio est, si reclametur, si non pareatur. Sic iræ statim est reclamandū.

Vt iuxta sententiam Hippocratis is morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subinde mu tat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur. Ita nullus est animi morbus ira periculosior, quæ vultum, uocem, incessum sic immutat, ut idem alius esse uideatur.

Lotis adducunt speculum. Id multo magis ex-hibendum irato.

Dissi-mile. Mare commotum cum algam, & spumam eie ctat, purgari dicitur, etiam si littus contaminat. At qui commotus ira uerba effundit amara, con tumeliosa, primū inquinant ipsum, a quo dicun-tur, & famæ labem aspergunt.

Vt in febre. Sic & in morbo linguam habere lenem ac teneram, bonæ spei signum est.

Dissi-mile. In febri linguæ scabricies ac sordes, signum est

mali, non

mali, non causa. in ira linguæ duricies malorum maximorum est causa.

Vt tumor potissimum accidit ex plaga carnis. Sic molles & imbecilles animi maxime intumescunt ira, ut mulierum ac senum.

Barbari quidã ferrum inficiunt ueneno, ut bis noxiũ sit. Sic quidã dictis instigant cõmotos.

Vt nutrices pueris dicunt ne plora, & accipies. Ita dicendum animo commoto, ne clama, ne festina, ac melius quæ uis consequeris.

Vt pater uidens puerũ uolentẽ incidere quippiam, ipse arrepto ferro id facit. Ita ratio uindictã eripiens iræ, utiliter castigat.

Vt puer se vulnerat ob imperitiam, dum alium ferro quærit lædere. Ita iracundia sibi nocet sæpenumero, dum alijs nocere studet.

Qui nos docuit sagittare, non uetuit iaculari, sed uetuit ne aberraremus a scopo. Ita non est interdicta punitio, sed in tẽpore & apte facienda.

Vt primis nuntijs non statim creditur, quemadmodum Phocion Atheniensis nuntiata Alexandri morte. Si hodie inquit, mortuꝰ est, & cras, & perhendie mortuus erit. Ita non statim iræ fidendum dicenti. ille mihi fecit iniuriam, sed proferenda fides in dies aliquot.

Vt per nebulam corpora, sic per iracundiam res maiores uidentur.

Pigri remiges sereno cœlo desident in portu,

deinde coguntur flantibus uentis nauigare cum periculo. Sic qui non punit, cum est animo sedato, cogitur aliquando uel iratus punire.

Dissimile. Cibo iuxta naturã utitur is, qui esurit. At uindicta debet uti, qui nec sitit eam, nec esurit.

Vt assidua tussi concutit, & quassatur corpus, atq; exulceratur. Ita crebra ira animũ exulcerat.

Vt luxus deprehenditur e cantu tibicinæ, e coronis proiectis, ac similib9 indicijs. Ita iracũdum intelliges e seruorum vultibus inustis.

Vt qui per inane ingrediunt, quo magis innitunt, hoc magis peccãt. Ita q sui amãtes sibi fidũt.

Dissimile. Non ut medici bili medentur amaris. Ita oportet iracundiam medicari irancundia.

Vt minutæ literæ, si quis intendat, offendunt oculos. Sic qui res minutulas iracunde curat, morosior redditur ad maiores.

Quemadmodũ in œconomicis inquit Xenophon, suũ habent locũ uasa sacris parata, suũ quę cœnis, alibi quæ agriculturæ, seorsum quę bello. Ita quisq; inueniet in animo suo mala ab inuidia profecta, a Zelotypia, ab ignauia, ab auaritia.

Vt lamias fabulę narrãt foris oculatas esse, domi oculis in uase recõditis, nihil uidere. Ita quidã in alienis perspicaces sunt, ad sua cœcutiunt.

Vt quibus domi multum est malorum, gaudent apud alios uersari. Ita animus sibi male conscius, sua horrens, de alienis agit, malitiam suam apud

am apud alios pascit.

Gallina sæpenumero pabulo apposito, in angulo scalpens, ac uerrens scrobem, e stercore ordei granum unum depromere mauult. Sic curiosi ꝑtermissis, aut interruptis sermonibus inoxijs, si quid malum in cuiusq; familia occultum est, id prouerrunt in medium.

Vt taxat in comœdijs Cleon, quod alibi manus haberet, alibi mentē. Ita multis in locis est curiosi hoīs animus, nec una habitat in domo.

Vt Sicyę, quod est in corpore pessimū, id attrahunt. Sic curiosorum aures, quod est in hoīm uita uitiosissimū id libentissime audiunt.

Ciuitates portas habent quasdam nefastas, per quas educuntur nocentes ad supplicium capitis, ejciuntur purgamenta, nihil autem infertur sacrum aut purum. Sic aures curiosorū non transeunt, nisi homicidia, adulteria.

Vt nemo feret, si quis medicus, uel Aesculapius ultro accedens ad alienum morbum percontaretur, num haberet phistulam in ano, aut num mulier haberet cancrum in pudendis, cum hæc curiositas sit salutifera, quod inuocatus accederet. Multo magis ejciendus curiosus, qui aliena mala non curat, sed retegit tantum, idq; non accersitus.

Dissimile.

Portitoribus indignamur, quod aliena scrutantur uasa, cum id lex eis permittat, & ni faciant damnum

damnũ facturi ſint. Multo magis ſuccenſendũ ĳs, qui ſuis omiſſis negotĳs, aliena perſcrutantur.

Vt coci optant pecorum prouentum, piſcatores piſcium. Sic curioſus malorum, nouarum rerum cõmotionẽ, ut habeat quod uenetur.

Vt fele prætercurrẽte tollunt e medio obſonia. Ita apparente curioſo, uertũt inſtitutũ ſermonem, donec abierit, ut minus iã norit rerum q̃ cęteri.

Vt quidã inſana libidine, neglectis formoſiſſimis mulieribus quæ proſtãt, ad incluſam & ſumptuoſam penetrant, etiam deformem. Sic curioſus contemptis præclaris ſpectaculis, ac fabulis tam multis, alienas ſcrutatur epiſtolas, alienas domos, non abſq; periculo nonnunq̃.

Vt Simonides gratiarum ſcrinium ſemper inane repperit, mercedis ſemper plenũ. Ita ſi curioſus poſt aliquantũ tempus ſuam aperiat pœnum, inutilibus & inſuauibus rebus plenã inueniet.

Quidam e poetis eligunt deterrima, ut ex Homericis uerſibus acephalos, & μειούρους tragicos ſyllogiſmos, & ab Archilocho obſcœne dicta in mulieres. Sic curioſus peſſima & inſuauiſſima e cuiuſq; uita decerpit.

Vt Philippus ex deterrimis hominibus conditam ciuitatem πονηρόπολιν appellauit. Sic curioſus malis undiq; congeſtis, theſaurũ quendam inamabilẽ, & inamœnũ ſibi in memoriã conſtruit.

Vt quidam neglectis pulchris picturis, prodi-

gioſas ac

Cynocephalus a capite canino de Vide Crakbaldus li: 1 cap: 7 itemque Colum li: 13 cap: 37

giosas ac monstrosas imagines, ut trioculos, carentes suris Cynocephalos. Sic curiosi malis alienis magis delectantur quam honestis.

Vt uenatores non sinunt canes quiduis olfacere, aut mordere, sed integros eos seruant fere. Sic oportet aures & oculos non sinere quouis uagari, sed rebus necessarijs reseruare.

Quemadmodum aquilæ, & leones cum ambulant introrsum uertunt unguesue conterant, ac seruant in prædam illorum aciem. Sic animi uigorem non conuenit alienis rebus noscendis absumere, sed seruare ad usum necessariorum.

Vt turpe est ingredi domum alienam, aut introspicere. Ita turpius est scrutari quid alij suæ domi faciant.

Vt admonuit Socrates cauendum ab ijs edulijs, quę illicerent ad edendum etiam non esurientes, & a potu qui ad bibendum inuitaret etiam non sitientes. Sic fugienda sunt spectacula sermonesque, qui pelliciunt sui desyderio eos ad quos nihil attinent.

Vt ulcus cruentat seipsum dum scalpitur. Ita curiositas & sua mala studet cognoscere, & dolorem accersit, cognoscendi libido siue pruritus.

Quemadmodum admonet Xenophon. Vt in rebus prosperis maxime meminerimus honorare deos, ut si quando inciderit necessitas audacter eos possimus accersere, ceu iam beneuolos & amicos. Sic dicta quæ morbis animi queant mederi, multa ante comparanda sunt, ut cum opus est,

opus eſt, facile ſuccurrant.

IAM FAMILIARIA.

Vt canes feroces ad oẽm uocem irritant, ad ſolam notã ac familiarẽ manſueſcũt. Sic animi morbi cum ſæuiũt compeſci nõ poſſunt, niſi dicta adſint nota familiaraqꝫ, quæ cõmotos corripiant.

Qui nauſeant inter nauigandum, exiſtimãt ſe melius habituros, ſi ex ſcapha in liburnũ, aut in triremẽ demigrarint. At nihil agunt cum ſecum circũferant timiditatẽ ac bilem. Ita fruſtra uertunt genus uitæ, qui morbos animi ſecũ adferunt.

Qui laborant aduerſa ualetudine, ĳs oĩa ſunt moleſta, faſtidiũt cibos, incuſant medicos, ſuccenſent amicis. At reſtituta ſanitas oĩa reddit iucunda. Sic animo ægroto, quæuis uita inſuauis, animo ſano nullũ uitæ genus non iucundũ.

Vt calceus ad pedis formam torquetur, non contra. Sic uitæ genus cuiqꝫ eſt eiuſmodi, cuiuſmodi ſunt animi affectus.

Vt fruſtra puro haurias uaſe e fonte turbido. Ita non potes alĳs iucundus eſſe, aut rebus obeundis accommodus, niſi purgaueris animum malis affectibus.

Plato confert hominis uitam ludo teſſerarum, quid iactu cadat, non eſt in nobis ſitum. at quod cecidit recte diſponere in nobis eſt. Sic euentus in nobis non eſt, quod obuenit, id in bonum uertere noſtri muneris eſt.

Vt corpus

FAMILIARIA

Vt corpus ægrotum nec æstum ferre potest, nec frigus. Ita amicus ægrotus prosperis, atq; aduersis rebus iuxta offenditur.

Vt apis ex amarissimo thymo, suauissimum mel colligit. Ita sapiens ex tristissimis rebus aliquid excerpit utilitatis.

Vt qui canē lapide petens nouercam percussit, ne si quidē inquit male. Ita quod præter expectationem euenit, in bonā partem uertendū est.

Vt medicus curans eos, qui dentibus cruciant non tā contristat aliorū malis, q̄ sua bona ualetudine gaudet, sed placidꝰ eis apparet. Sic qui cupit alienæ mederi iracūdiæ, nō debet ipse simul commoueri, sed placide tractare animū ægrotum.

Febricitantibus amara uidentur om̄ia. At ubi conspexerimus alios eadem non fastidientes, iam non cibum, sed nos ipsos incipimus accusare. Sic desinemus incusare negotia, si uiderimus, alios eadem hilariter, ac lubenter obeuntes.

Sicyæ quod est pessimum attrahunt. Sic quidam suis bonis non fruuntur, sed malis expendendis discruciantur.

Vt Chius ille uina optima emebat aliȷs, ipse uappam potabat. Sic qui omnia sua deprauant, nec suis ipsorum bonis fruūtur. Huius seruus interrogatus quid ageret dominus, cum adsint, inquit bona, quærit mala.

Si pueris unum lusum auferas, reliquis omnibus abie-

bus abiectis, plorant. Sic quidam si quid obtigerit dispendij, protinus irati, reliqua omnia commoda sibi reddunt iniucunda.

Vt quidam alienas picturas, statuas, poemata diligenter aspiciunt, ac singula excutiunt, per otium suas neglectim habent. Sic multi alienas fortunas magis admirantur, suas oderunt.

Quemadmodũ adulteri alienas uxores adamant, suas contemnũt. Sic quidam aliorꝫ bonis magis delectant̃, sua eleuant, aut etiã negligunt.

Vt uincti beatos iudicãt solutos, soluti liberos, liberi ciues, hi rursum diuites, hi satrapas, satrapę reges, reges deos, tonare ꝓpemodũ ac fulgurare cupientes. Sic qui semper expendit, quãto sit alijs inferior, nunquã sua contentus est sorte.

In olympijs non licet uincere, delecto aduersario. Sic in uita quæcunqꝫ obtigit fortuna, cum ea luctandum est.

Vt floridum aulæum aliquando multa tegit sordida. Sic splendor & strepitus potentum, multas obtegit calamitates.

Vt quibusdam cum foris in foro, aut in curia conspicui sunt ac splendidi, domi morosa uxor contristat omnem uitam. Sic regno ac diuitijs, multa adsunt occulta mala.

Vt uelis utendum pro nauis magnitudine. Ita cupiditates pro facultate sunt moderandæ.

Qui boue uenatur leporem, & aratro iaculat̃,

& sagena

& sagena captat ceruos, si nõ assequitur, non potest accusare fortunam, sed suam ipsius stultitiam. Sic qui conantᷣ quod nõ queant efficere, non debent incusare fortunam, sed suam dementiam.

Bos ad aratrum adhibendus, equus ad currus, ad uenatum canis (ut inquit Pindarus.) Sic quisꝙ debet eam uitæ rationem capessere, ad quam natura sit appositus.

Qui studeat Plato esse doctrina, dormire cum beata uetula, ut Euphorion. Cũ Alexandro potare, ut Medius. Diues esse, ut Ismenias, virtute præcellens, ut Epaminondas, doleatꝙ quod unus nõ sit hæc omnia, Perinde facit ac si moleste ferat, q̃d non sit leo montanus, & idem Melitea Catella in sinu uiduæ diuitis.

Vt qui cursu certant, non discrutiantur cum uident coronas Athletarum, sed suis oblectantᷣ. Ita te non oportet aliena fœlicitate discrutiari, sed tua gaudere sorte.

Vt plures sunt qui lauare uelint, q̃ꝙ qui uelint inungi. Ita ad magis ardua, magisꝙ p̃clara pauciores confluunt.

Qui dolent quo dnon excellant in omnibus, etiam diuersissimis. Perinde faciunt, ac si quis moleste ferat, quod uinea nõ ferat ficus, quodꝙ olea non ferat botros.

Vt feris alijs, aliunde uictus. Sic hoĩbus alijs aliunde uiuẽdi ratio, aliꝰ philosophatᷣ, alius militat.

Vt muscæ a lenibus locis ueluti speculis, dila-buntur, asperis & cauis insident. Sic quidam bo-norũ obliti, tristium memoriã urgent ac premũt.

Vt est locus in Olyntho Thraciæ, in quẽ si Sca-rabeus inciderit, non possit exire, sed distorquens sese, immoritur. Sic quidam malorũ suorum me-moriæ immoriuntur.

Vt in pictura quæ splendida sunt, oculis sunt obijcienda, celanda si quæ mala, quæ deleri non queant. Sic in uita, bonorum cõtemplatione, ob-scurando malorum memoria.

Vt in musica graues acutis sic miscent, ut con-centum efficiant. Ita bonis & malis utendum in uita, ut ex utrisq; uiuendi ratio temperetur.

Vt grammaticus non solum uocalibus utitur, sed & cõsonantibus, tenuibus, asperatis, grauibus lõgis, ut modulata sit orõ. Sic in uita nihil purũ.

Vt musici duriores harmonias alijs obscurant modulationibus. Sic in uita si quid accidit præter animi sñiam, meliorũ collatione est obscurandũ.

Vt flamma excitata uento maior est, ac uehe-mentior, sed parum durabilis ac constans. Sic ue-hemens cupiditas ob metum adiunctum, incertã habet uoluptatem.

Dissi-mile. Gubernator etiamsi multum conducit, tamen non potest sedare uẽtos & undas. At ratio, ac mẽ-tis habitus non solũ animi motus componit ue-rum corporis morbos sæpe leuat.

Vt qui per

Vt qui per febrim, aut epialum horrent atq; æstuant, grauius afficiuntur ijs, qui eadem foris patiuntur. Sic fortunæ res quod foris aduenīant, minus discruciant, quam ea quæ sunt animi.

Vt si fons ipse turbidus sit, quicquid inde fluxerit, non potest esse purum. Sic animus si sit infectus malis affectibus, omnia uiciat quæ accedunt. Contra, si purus & tranquillus.

Vt qui Tus tundunt, etiam si purgentur, tamen odorem in multū tēpus referunt. Ita animus diu uersatus in honestis negotijs, diu seruabit iucundam memoriam, qua fretus contemnet eos, qui uitam ut miseram deplorant.

Vt multa agrestia subnascentia in agro, mala quidem ipsa sunt, sed tamen signa fœlicis atq; uberis soli, si quis excolat. Sic animi affectus per se mali, arguunt ingenium non malum, si accedat recta institutio.

EX SENECA

Vt qui se meminerūt inquilinos esse, & in conducto habitare, & modestius se gerunt, & minus grauatim exeunt. Ita qui intelligunt domiciliū corporis ad breue tempus a natura commodatū esse, & uiuūt tēporantius, & libentius moriunť.

Vt fœlicior est quē uentus acrior cito in portū pertulit, q̄ quem uenti segnes, & longa tranquillitas lentissimo tædio delassarunt. Ita fortunatior, quē festinata mors statim his uitæ malis eximit.

Quemadmodum nauigantibus, terræq; ur-
besq; recedunt. Sic rapidissimi temporis cursu, pri
mum pueritiam abscondimus, deinde adolescen-
tiam, deinde senectutis optimos annos.

Vt qui serus exiuit, cursus celeritate penset, ac
sartiat, oportet. Ita qui serius ad bonā uitam, aut
literas accessit, diligentia reparet, necesse est, superi
oris cessationis iacturam.

Animalia quædam circa cubilia confundunt
uestigia, ne queant inueniri. Sic nobis cælandum
bonum nostrum, quo tutius sit.

Vt in aperto posita & exposita negliguntur, ac
prætereuntur, abstrusa petuntur insidijs. Ita qui
ualde latet, & a vulgo semotus est, in huius uitam
inquirunt homines.

Demetrius uitā perpetuo tranquillā, & sine ul-
lis fortunæ incursionibus, mare mortuū uocauit.

Vt Sol minora obscurat lumina. Ita ad uirtutē
reliqua cōmoda nihil habent momēti.

Vt nihil adfert momēti nimbus in mare deci-
dens. Ita fortunę incōmoda, nihil mouēt sapientē.

Poma quędam suauiter acerba sunt, & in uino
nimiū ueteri delectat & ipsa amaritudo. Sic ami-
corum defunctorum memoria mordet animum,
sed non sine uoluptate.

Supra modum deditus uino, fecem quoq; ex-
orbet. Sic admodum uitæ auidus, qui ne extrema
quidem senecta vult mori.

Vt in eundem

Vt in eundem amnem nemo bis deſcendit. Sic ob rapidum curſum uitæ, homo ad ſingula momenta alius eſt.

Vt latronum genus, quod Aegyptij Philiſtas uocant, in hoc amplectuntur, ut ſtrangulent. Sic uoluptates, dum blandiuntur, necant.

Iumenta quorum in aſpero indurata eſt ungula, quamlibet patiuntur uiam, in paluſtri paſcuo ſaginata cito ſubterũtur. Sic animus duris rebus aſſuetus, minus offenditur.

Vt alia ueſtis magis ſapientem decet, quàm alia, cum nullam oderit. Sic magis congruit hoc, aut hoc loco uiuere.

Dissimile.

Alia remedia cum adminiſtrantur triſtia, poſt ſanitatem deniq; delectant. Philoſophia pariter ſalutaris eſt & dulcis.

Robora in rectum quãuis flexa reuocabis, curuatas trabes calor explicat, & aliter natæ in id finguntur, quod uſus noſter exigit. Quanto magis animus accipit formam flexibilis, & omni humore obſequentior.

Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac frenos. Sic ſtultiſſimus, qui amicum aſciturus, eum e ueſtitu, aut opibus æſtimat.

Vt grando alliſa tectis, diſſultat, magno quidem fragore, uerum nulla noxia. Sic inſultus fortunæ nihil poteſt in ſapientem.

Vt præstigiatorum fraudes fallunt,& cum uoluptate. Sic sophisticis argutijs capi ridiculũ est, non periculosum.

In laberyntho properantes,ipsa implicat uelocitas. Sic qui uitæ commodis student, magis in uoluuntur incommodis.

Nauis in fluuio magna,in mari parua est. Sic mediocres alibi, alibi uidentur insignes.

Auis quæ pluma tantum tenetur,minimo dispendio potest aufugere. Sic opes non debent nos remorari a studio sapientiæ.

Serpens etiã pestifera dum frigore torpet, tute tractatur, non quod desit uenenũ, sed quod non possit explicare. Sic quibusdam ad eximiam malitiam uires desunt,non animus.

Vt Phœnix nõnisi quingentesimo anno nascitur. Ita insigniũ uirorum,rarus est prouentus.

Non faciunt equũ meliorem aurei freni. Nec hominẽ meliorem,fortunæ ornamenta.

Radij Solis & si contingunt terram,tamen ibi sunt,unde mittunt. Sic sapientis animus, tametsi uersatur hic,tamẽ apud suam originẽ est.

Qui nimiũ incitatus fertur, non ubi vult sistit sese, sed longius effertur q̃ uelit. Sic nimia in discendo celeritas,temere rapitur.

Vt segetẽ nimia sternit ubertas, rami onere frãgunt. Sic animos ĩmoderata rumpit fœlicitas.

Flamma nec premi potest, nec quiescere. Sic

animus

animus natiuo impetu fertur ad honesta.

Semen licet exiguũ, tamē locum nactum idoneum, uires suas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. Sic ratio sapientiæ paucis constat uerbis, in opere crescit.

Vinum quod in dolio placuit, non fert ætatem. Quod recens durum est & asperum, postea placet. Sic adolescentia durior maturescit, & ad frugem peruenit.

Qui multis negotĳs distrahitur, ueluti lacus est ad quem a multis concurritur, qui eum & exhauriunt, & turbant.

Non est admirationi una arbor, ubi sylua tota in altum surrexit. Sic non animaduertitur una sententia, cum passim omnia referta sunt sententĳs, sed si raro incidat.

Ignis qui ualētem materiam occupauit, aqua, & interdum ruina extinguendus est. Ille qui alimentis deficitur, sua sponte subsidit. Sic facilis est mors senum.

Gladiator tota pugna timidissimus, cũ moriēdum est, fortiter aduersario iugulũ præstat, & errantē gladiũ sibi attēperat. Sic mors admota, etiã imperitis animũ dedit, ut præsentē fortiter ferant, qui cum procul abesset, formidabant.

Magnus gubernator, & scisso nauigat uelo, & si exarmauit, tamē reliquias nauigĳ aptat ad cursum. Sic in corpore parum fœlici ac deficiente,

tamen fortis animus sui similis est.

In nauí quæ sentinā trahit, uni aut alteri rimæ obsistitur. vbi pluribus locis laxari cœperit, succurri non potest nauigio dehiscenti. Ita in senili corpore, aliquatenus fulciri pōt imbecillitas, uerū ubi totū collabi cœperit, nihil agit̃ remediȷ̃s.

Vt putri & ruinam minanti ædificio, non adhibentur fulturæ, sed circumspiciendum ut exeas. Ita defecto corpore demigrandum e uita.

Vt si q̄s uaria spargat, necesse est, ut aliqua ꝓueniant. Sic oīa tentanti, quædā succedunt.

Vna Tussis non facit ptysim, sed in morē adducta. Ita error non statim gignit animi morbū.

Vt ægrotus non quærit medicum disertum, sed sanandi peritum. Sic a philosopho non requirimus orationem phaleratam.

Philosophus etiam eloquens, perinde est quasi bonus gubernator, etiam formosus sit.

Vt in corporibus morbus segnitie & lassitudine præsentitur. Sic infirmus animus, priusq̃ opprimatur malis, præsumptione quatitur.

Vt semina bona, si in solum bonū inciderint, similia origini proueniunt, eadem humus sterilis, ac palustris necat. Sic philosophiæ præcepta, si in bonum aut paruum animū inciderint.

Non continuo melior gubernator, qui pulchrius, aut maius sit nauigium. Ita non melior uir, cui fortuna splendidior.

Ex congia

Ex congiario epulo, aut uiſceratione, tanto minus redit ad ſingulos, quanto in plures diſtribuitur. Non idem accidit in bonis animi, quæ tota ad ſingulos perueniunt, nec cõicatione minuunt.

Diſſimile.

Vt plus debet Neptuno qui merces precioſiſſimas deportauit. Sic plus debet principi, qui tranquillitatem & pacem publicam, non in uoluptatibus, ſed honeſtiſſimis ſtudijs conſumit.

Canis quicquid excepit, protinus deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Ita quod expectantibus fortuna proiecit, id ſine ulla uoluptate demittimus, ſtatim ad rapinam alterius erecti.

Vt libri quos non euoluas ſitu cohæreſcunt. Ita memoria euaneſcit, niſi ſubinde renoues.

Lana quoſdam colores ſtatim imbibit, quoſdam non niſi ſæpius macerata & recocta. Sic alias diſciplinas ingenia cũ accepere, protinus præſtant, philoſophia niſi alte deſcendit, & diu ſedit, non colorabit animum.

In aquam demiſſa quædam, cum ſint rectiſſima, ſpeciem curui, præfractiq́; uiſentibus reddunt. Ita ſi de rebus perperã iudicamus, noſtrum eſt uitium, non rerum.

Qærimus nonnunq́; eos, quibus cum ſtamus. Ita quidam quod ſciunt, ſe ſcire neſciunt.

Quẽadmodũ pernitioſior hoſtis fugientibus. Sic grauius eſt incõmodũ, ſi cedas ac des terga.

Quomodo fabula. Sic uita, non quamdiu,

 ſed quam

ſed quam bene acta ſit, refert.

Vt ictum quem prẹuideris cõmodius excipis. Sic præcogitatum malum minus offendit.

Vt hiſtrio non eſt fœlicior, quod in ſcenis ador natus rex, aut deus uideatur. Sic nec homo fortu-næ muneribus, quandoquidem ſuis bonis æſti-matus, nihili eſt.

Vt Pumilio, etiam ſi in monte conſiſtat, puſil-lus eſt, Coloſſus etiam in puteo magnus. Ita ſapi-ens in quacunq; fortuna ſuis bonis magnus eſt, Stultus & in ſumma fortuna humilis.

Quemadmodũ reus paribus ſententijs abſol-uitur. Sic ſapiens ubi paria maleficijs meritã ſunt, magis meminit benefactorꝝ quã iniuriarũ.

Diſſi-mile. Illud uenenum, quod ſerpentes ſine ſua perni-tie continent, in alienã effundunt. At malitia ma-ximam ſui ueneni partem bibit ipſa.

Diſſi-mile. Creditori præter ſortem extra ordinem nume ramus, beneficiorum autem uſum eſſe gratuitum iudicamus, & illa creſcunt mora, tantoq; plus ſol-uendum eſt, quanto tardius.

Vt poſt malã etiam ſegetẽ ſerendũ, ut poſt nau-fragiũ tentantur maria, ut fœneratorẽ a foro non fugat coactor. Ita beneficiũ denuo collocandum, etiam ſi ſemel incideris in hoĩem ingratũ.

Fucata facies, nec diu, nec multis imponit. Ita ſi mulatio, nõniſi ad tẽpus, & paucos decipit.

Vt umbra nos uel inuitos comitatur. Ita glo-

ria uirtu

ria uirtutem ſequitur,etiam fugientem.

Vt umbra aliquando antecedit,aliquando ſe-quitur. Sic quibuſdam ſtatim contigit fama, qui-buſdam poſt mortem. Denicꝫ ea quo longius ſe-quitur,hoc maior eſſe ſolet.

Vt nec mundus creſcit,nec Sol, nec Luna, nec mare. Ita pares ſunt omnes ſapientes.

Vt oculi diutino morbo difficiles facti,quouis Solis radio offendunt. Sic uitia multa, & aſſidua contracta temulentia durant & ſobrijs.

Vt dolium efferueſcente uino rumpitur, & quod in imo eſt,eruitur in ſummum. Sic ebrietas abditiſſima pectoris profert.

Quemadmodū onerati mero, non continent cibum. Ita nec arcanum redundante uino.

Vt æque mortuus eſt, qui conditus eſt in odo-ribus,& qui trahitur unco. Ita æque ſunt infœli-ces, & qui uoluptatibus indulgent, & qui ambi-tioſis negotijs uacant.

Vt bonus artifex,e quauis materia ſimulachrū fingit. Ita ſapiens quamuis fortunam ſapienter adminiſtrabit.

Vt initia morborum,quamuis leuia ſerpunt. Ita ſi uitia & affectus uel leuiſſimos ſemel admit-tas,creſcunt & augeſcunt.

Vt quædam feræ etiam domitæ,tamen ſubito ad feritatem natiuam recurrunt.Ita nunquam bo na fide uitia manſueſcunt.

Vt nullum

Vt nullum animal nec mite, nec ferum paret rationi, qua caret. Sic nullus affectus.

Qui sibi comparatione deteriorum bonus uidetur. Perinde est, ac si quis ad claudos respiciēs, suam miretur uelocitatem.

Vt e diuersis uocibus constat chorus. Ita uariarum disciplinarū mixtura constat eruditio.

Qui imitatur authores, dabit operam, ut similis illis sit, quemadmodum filius similis est patri, Non quemadmodum imago picta.

Vt e diuersis numeris constat unus, summam illorum in se complectens. Sic e diuersis conflatur eruditio. Iam tua, non aliorum.

Cibus innatās stomacho, onus est, non cibus. Idē mutatus, in uires, & sanguinē transit. Sic quæ legeris, si solida durāt in memoria, aliena manēt. si abeunt in ingeniū, tum reddunt eruditiorē.

Apes e uarijs uarios colligunt succos, sed eos suo spiritu mutant ac digerunt, alioqui non facturæ mel. Sic euoluendi sunt authores omnes, sed quod legeris in tuos usus transformandū.

Alibi diligenter expenditur, non quid habeat quisq;, sed quid habeat suum. Itidem hominem suis proprijs bonis oportet æstimare.

Vt egregius artifex, non in una materia artifex est. Sic sapiens in quauis fortuna se bene gerit.

Quemadmodum fures alienis poculis ansas mutant, ne possint, agnosci. Ita nonnulli de alienis

inuentis

inuentis paululum quiddam immuniant, ac sibi usurpant, & detractis aut additis pauculis uerbis, existimant suũ uideri posse, quod est alienũ.

Vt sydera contrariũ mundo iter intendunt. Ita sapiens aduersus opinionẽ omniũ uadit.

Cum potentes imperio editi, & consensu seruientiũ ualidi nocere intentent, tam citra sapientem omnes eorũ impetus deficient, q̃ quæ neruo tormentisue in altũ exprimuntur, cum extra uisum exierunt, citra cœlum tamẽ flectuntur.

Abijce illos, qui non aliter, q̃ quibus difficilis somnus, uersant se, & hoc atq; illo modo componunt, donec quietẽ lassitudine inueniant, statum uitæ suæ formãdo. Subinde in eo nouissime manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit.

Nihil ergo magis præstandum est, q̃ ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quo itur.

Vt in magna strage, alius alium trahit in ruinam. Ita in publico errore, alius alium secum trahit ad pernitiem.

Vt qui in ludo uersant̃ gladiatorio, cũ ijsdem uiuũt ac pugnãt. Ita vulgus hoim̃ inter sese dimicat, & alius alium spoliat, uel amicissimũ.

Vt feræ mutuo laniatu uiuũt. Ita quisquis potentior, malo inferioris ditescit ac crescit.

Vt qui per spinosa ingrediuntur loca, suspen-

sis pedibus

ſis pedibus eant, neceſſe eſt. Ita de rebus friuolis, aut moleſtis loquenti, breuiter eſt tranſiliendum ad uberiora, gratioraq́.

Vt qui ſpinas habet in pedibus, ubiq́ ſpinas calcat. Ita ſterili ingenio oīs materia ſterilis eſt.

Vt qui in alieno habitāt multis angunt̃ incommodis, ſemperq́ de aliq̃ domicilij parte querunt̃. Ita anīus nūc de capite, nūc de pedibus, nūc de ſtomacho &c̄. queritur. ſignificans ſe non eſſe in ſuo dimicilio, ſed unde breui ſit emigrandum.

Vt montiū proceritas minus apparet, ꝓcul intuētibus, ubi acceſſeris tū apparet, q̃ ſint in arduo Ita nemo ꝑſpicit q̃ excelſus ſit anīus philoſophi, q̃tunq́ ſupra res omneis hūanas emineat, niſi ꝓpius contēpleris, & imitatiōe ad illū acceſſeris.

Quemadmodum ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit cum illum tuba per longi canalis anguſtias tractum patenti ore nouiſſime effudit. Sic ſenſus noſtros clariores arcta carminis neceſſitas efficit, eadem negligentius audiuntur, minusq́ percutiunt, quādiu ſoluta oratione dicuntur, poteſt trahi & huc, ut ſi quis dicat famam uirtutis clariorem exiſtere, ſi diu rebus aduerſis oppreſſa, tandem emerſerit.

Vt qui in Solem uenit, licet nō in hoc uenerit, colorat̃, & qui in unguētaria taberna reſederūt, & paulo diutius cōmorati ſunt, odorē loci ſecum ferunt. Ita qui cū ſapiente cōſuetudinē habent, etiā

ſi non hoc

si non hoc agant, tamẽ reddunt meliores.

Tempestas minatur antequam surgat, crepant ædificia antequã corruant, prænuntiat fumus incendium. At subita est ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit.

Dissimile.

Vt in corpore latet animus, unde uim & impetum sumant omnia. Et mysteria, quæ est sacrorum pars optima, non patent, nisi initiatis. Ita philosophiæ præcepta nota sunt omnibus, id uero quod in ea est optimum, latet.

Vt quosdam uxor magno ambitu ducta torquet. Ita quidam magnis laboribus accersunt, magno futura malo.

Vt puerorum manus, dum primũ discunt scribere, digiti tenentur, & aliena manu per literarum simulachra ducũtur, post, iubentur imitari propositum. Sic primũ animus ad præscriptum adiuuetur, oportet, donec incipiat per se philosophari.

Vt minuta quædam anialia, cũ mordent, non sentiunt, tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullũ vulnus apparet. Ita bonorũ cousuetudinem prodesse non deprehendis, sed profuisse.

Dissimile.

Vt primũ est expurganda bilis, unde nascit insania. Deinde mouẽdus homo, alioqui qui furiosum admoneat, quomodo debet procedere, quomodo se gerere in publico, furiosior sit ipso furioso. Sic primũ animus est liberandus falsis opinionibus, postea tradenda præcepta philosophiæ.

Vt qui ex

Vt qui ex claro Sole redierunt in umbram, his caligant oculi .Ita qui a diuinorum contemplatione,ad humana recidunt.

Vt medici uetant admoueri remedia, cũ morbus in accessu est,ac sæuit, sed cum se remittit. Ita ad primos illos iræ aut doloris motus,non est adhibenda consolatio,uel admonitio , sed ubi tempore cœperint esse leuiores.

Vt apparatus scenæ,quia cõmodato datus est, statim redditur,& sine querela.Ita quicquid in uita contigit magnificũ,siue serius, siue mox a fortuna repetatur, æquo anĩo reddemus,si his tanquam commodaticiis utimur.

Vt qui uariis tempestatibus,huc & illuc iactus est,nec tñ peruenit non multũ nauigauit, sed multum iactatus est. Sic qui diu uixit, nec profecit ad bonos mores,non diu uixit,sed diu fuit.

Generosus equus, melius gestabit sarcinam quam ignauum iumentũ,nemo tamen imponit.Ita magna ingenia sunt quidem & ipsa idonea functioni munium,sed indigna,quæ tam sordidis occupationibus onerentur.

Vt sydera mundi,si uel paulum subsistant,aut aberrent summo id omnium malo fiat . Ita principi cessare non licet. Quod si facit,magna rerum humanarum pernitie fit.

EX LVCIANO, XENOPHONTE AC DEMOSTHENE.

Vt histriones

Vt histriones Herculem in scenis, aut Agamẽ-
nonem repræsentantes personati, auro amicti, tor-
uum tuentes, & late hiantes, tenuẽ & exilem ædũt
uocem. Ita quidam in dialogis faciunt Platonem
aut magnos uiros loquentes, quorũ pondus non
possit ingenio tueri.

Bona fabula aliquando exibilatur, uitio histri-
onis male agẽtis. Ita bona oratio displicet, si quis
parum apte referat.

Vt Momus tauri opificem deum carpsit, quod
nõ ꝓposuisset oculos cornibus, ubi maxime erat
opus. Ita perperam faciunt, qui coronas in uertice
ponunt, cũ sub naribus magis apponi cõueniat,
ut plurimũ uoluptatis exodore possint haurire.

Vt non omnes insaniunt, qui Phrygiam audi-
unt tibiã, sed hi dumtaxat, quos Rhea corripuit.
Ita non conmouentur philosophiæ laudibus, nisi
qui ad eam natura sunt propensi.

Quod tibię sunt ignaris musices. hoc opus his,
qui nesciunt uti.

Vt qui primo musicen discũt, citharas aliquot
perdunt & obterunt. Ita magno reip. malo admi-
nistrat magistratũ, qui rudis accedit & imperitus.

Vt bilanx in eam uergit partem, unde plus ac-
cipitur. Sic quidã nunc huic, nunc illi fauent, qui
plurimum det, non cuius causa sit optima.

EX ARISTOTELE, PLINIO, THEOPHRASTO.

Ex omni genere curiositas hominũ signa col-legit instantis tẽpestatis. At nullo magis conueni-ebat hac uti diligentia in consulationibus, ut ob-seruatis experimentis conijciant, quid malorũ ex uno quoq; perperam instituto consequatur.

Vt cœlo q̃uis sereno nubecula quamlibet par ua, uentum procellosum dabit. Sic rebus admo-dum pacatis ex minimo dissidio, grauissimi rerũ motus subito exoriuntur.

Vt ranæ ultra solitũ uocales, tempestatem sig-nificant imminentẽ. Ita cum plurimũ ualet apud principes oraio malorum bonis tacentibus, tum instat rerum perturbatio.

Echinus præsentiens tempestatẽ, aut affigit sese, aut harena saburrat. Ita cum imminet fortunæ tu-multus, animus est philosophiæ præceptis confir mandus.

Vt imperiti tempestatẽ non sentiunt nisi sero, suoq; malo, Contra prudentes agriculæ prospici-unt, cauentq;. Ita uulgus hominũ improuidũ suo malo discit, cum interim uir sapiens procul præ-uisum malum uitet. Vt Democritus metente fra-tre ardẽtissimo æstu monuit, ut reliquæ segeti par-ceret, raperetq; de secta sub tectũ paucis mox ho-ris sæuo Imbre uaticinatione approbata.

Quemadmodum non raro fit, ut cœlo maxĩe sereno sæuus Imber subito cooriat̃. Ita rebus max ime prosperis ac lætis, sepenumero grauissima re-

rum incidit

rum incidit perturbatio.

Cum æstate uehemẽtius tonuerit q̃ fulserit (ut inquit Plinius) uentos denuntiat. Ita ubi quis ue-hemẽter inclamat in aliorũ uitia, ipse non perinde lucens morũ integritate, indicium est animi ma-gis ambitionis uento tumescentis, q̃ solide pij.

Delphini tranquillo mari lasciuientes flatum, qua ueniunt parte denuntiant. Ita cũ exultant im-probi, tolluntq; sese, rerum humunarũ tempesta-tem instare significant.

Sol, Luna, stella, mare, terra, arbores, herbæ, bru ta, & in his apes, formicæ, conchæ, deniq; lucer-næ, tempestatem prẹsentiunt, Solus homo sua ma la non præsentit, neq; prospicit.

Cum bruta solitum naturæ morem relinquũt, tempestatis indiciũ est, hoc est cum mergi fugiunt maria, aut stagna, cum absconduñt formicæ, aut oua progerũt, lumbrici e terra fugiunt, tempesta-tis præsagium est. Ita cũ audent facinorosi, tacent integri, sapit uulgus, desipiunt principes, sacer-dotes pro terrenis digladiantur, perniciem huma næ uitæ significat.

Vt Pirites gemma non aperit uim igneam, ni-si si atteras, tum enim digitos adurit. Ita quorun-dam malitiam non sentias, nisi cum illis consuetu dinem aut cõmercium habueris. Aut non sentias philosophiæ uim, nisi exercueris. Ita succina attri tu uim attrahendi & odorem produnt.

Vt ſcarabeum aut uiperã,aut araneam in gemma redditam & imitatam a natura(nam id uidemus eſſe factum in nõnullis) non horremus, ſed amplectimur effigie delectari. Sic uitiorũ erudita pictura delectamur in hiſtoricis ac poetis.

Quemadmodũ gemma Chalazias, etiam ſi in ignẽ conijciatur, tamen natiuũ frigus ſuũ retinet. Ita quidã ſic frigent ad literas ac uirtutẽ, ut nullis exemplis,aut hortatibus inflãmare poſſis.

Sicut Alexãder magnus uetuit,ne quis ſe pingeret præter unum Apellem, aut ne quis ſe fingeret ære, præter Lyſippum,aut gemma ſculperet præter Pyrgotelem, ſummos uidelicet artifices. Ita non conuenit Chriſtum a quouis prædicari,aut uirtutem a quouis laudari.

Vt gẽma minutula quædã res eſt, ſed ingentibus tñ ſaxis anteponit̃. Sic homo puſillus, ſed ingenio ualens,aut ſic phĩa, ſeu uirtus oſtentatione minimũ quiddam eſt,ſed pretio maximũ.

Vt æra conrinthia caſus fecit, & pictoribus illis equi & canis ſpumã,quam ars aſſequi non potuit,caſus expreſſit.Ita multa ſorte obtingũt, quæ nullo conſilio potueris efficere.

Nemo tam inſanus,ut uel e Neronis capedine, quã Plinius trecentis ſeſtertijs æſtimat, uenenum bibere malit,ꝙ e Samio uaſculo uinũ innoxium. Ita qui ſapit, malit ſalubria præcepta uiuẽdi qualicunq; ſermone propoſita, ꝙ peſtiferas opiniones ab elo-

nes ab elo-

nes ab eloquentissimo scriptore haurire.

Vitrũ mire crystallum imitatur, res uilissima, rem longe preciosissimã. Ita assentatio amicitiam imitatur, res pessima, longe optimam.

Vt crystali fragmẽta sarciri nullo modo possunt. Ita difficillimũ eos reconciliare, qui ex arctissima familiaritate in mutuũ odium uenerint.

Vt natura gemmas altissime recondidit, uilia passim obuia sunt. Ita quæ sunt optima, paucissimis nota sunt, necnisi summo studio eruũtur.

Vt succina paleas ad se trahunt, magnes ferrum, Chrysocolla aurum. Ita quisq; ascíscit sibi suis aptum moribus.

Vt indomita uis adamãti, unde & nomẽ additum gẽmæ, adeo ut nec calescat igni, nec ferro cedat, quin magis ictũ, ita respuens, uti ferrũ simul & incudes dissiliant. Sic sapientis anĩus aduersus oẽm fortunæ sæuientis impetũ inuictus.

Quemadmodũ adamas aduersus om̃ia inuictus hircino sanguine, eoq; calido ac recenti maceratus, malleo frangitur. Ita quædã ingenia nulla ui peruincas, blandicia emollienda sunt.

Adamas una re mollescit ad ictus ferri, alias indomitus. Ita nullum est ingeniũ tam ferũ, quod non aliqua ratione queat expugnari.

Quemadmodum si ferrum inter adamantem ponas, & magnetem diuerso nisu, nunc huc, nũc illuc fertur. Ita dubius animus, nunc ad honesta

rapitur, nunc ad diuersa trahitur affectibus.

Vt adamas si iuxta magnetē ponatur, nō patitur abstrahi ferrū, aut si admotus magnes apprehēderit, adamas, e diuerso rapit atq; aufert. Ita pecuniæ studiū dissidet cū christiana pietate, & modis oībus auocat, nec sinit adhærescere Christo.

Sicuti Nero princeps gladiatorū pugnas smaragdo spectabat. Ita quidam malunt diuorū imagines, q̄ ipsos diuos anīo contemplari.

Vti ferrum aut chalybs, cætera quidem duricie rigoreq; superat, ab adamante uincitur. Ita res quidem potens est amor in liberos, sed hunc quoq; superat pietas in deum.

Vt adamas, si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut uix oculis cerni queant. Ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam uertitur simultatem. Et ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia. Aut supra modum incandescit semel uicta leuitas.

Sicut animantia quædam etiam corporis partes amputant, ob quæ periclitari sese sciunt, ueluti fiber. Ita sapientis est aliquando facultatum iactura, uitæ consulere.

Quemadmodū in opalo gēma multarū gemmarum dotes eminēt. Nempe carbunculi tenuior ignis, amethysti fulgens purpura, smaragdi uirens mare, cunctaq; hæc pariter incredibili mixtura lucentia

ra lucentia

ra lucentia. Ita multorũ uirtutes in uno hoc emiꝛ nent, aut in sacris literis simul inuenitur quicquid apud ullos Ethnicos scriptores placere potest.

Opalum gemmã in discreta similitudine adulꝛ terant Indi. Experimentũ in sole tantũ. Ita uirtutes quædam uitia sic imitantur, ut difficillimũ sit diꝛ noscere, nisi ad summã lucem proferantur.

Carbunculi ignis & nomen & speciẽ habent, cum ignem non sentiant, unde & Apyraste dicti. Ita quidam pietatis opinionem & imaginem obꝛ tinent, cum a re sint alienissimi.

Anthratici carbunculorũ genere peculiare est, ut iactatus in ignẽ, uelut intermortuus extinguat̃. Contra aquis ꝓfusus exardescat. Ita quosdã conꝛ traria mouẽt. Si exhorteris, magis languescũt. Si dehorteris, magis accenduntur. Si bene merearis, reddunt̃ inimici. Sin male, pluris te faciunt.

Iris gẽma nõnisi in opaco reddit colores arcus cœlestis, nec ita ut ipse habeat in se, sed parietibus illidat, in Sole coloribus caret. Ita quidam uaria uirtutũ simulachra præ se ferunt, sed in obscuro, & quod in se non habent, tamen in aliorum aniꝛ mis, ueluti repræsentant ac gignunt.

Vt his gemmis summũ est pretium, quæ non modo uarietate colorum delectant oculos, & naꝛ res odore, uerumetiam ad remedia sunt efficaces. Sic his libris summũ est pretium, qui non solum habent orationis illecebras, uerum & salubribus

 præceptis

præceptis nos liberant animi uitijs.

Vt quidam gēmas quasdam secum ubiq; cir=cumferunt aduersus morbos, maleficia, ebrieta=tem, tonitrua, ruinas, cæteraq; mala. Ita quædam philosophiæ decreta semper ad manum haben=da aduersus incursuros animi morbos, libidinē, iracūdiam, ambitionē, auaritiam &c.

Draconites nec poliri potest, nec artem admit tit, alioquin elegans ac translucens. Ita diuina scri ptura suum habet nitorem, nec artificium philo=sophiæ, aut rhetorices admittit.

Quædam gēmæ aceto maceratæ nitescunt, ple ræq; melle decoctæ. Ita quosdam meliores reddit acris obiurgatio, quosdā admonitio blandior.

Facilius insculpes gemmis quæ uoles, si tere=bra ferueat. Ita magis mouebit orator, si non so=lum acriter dicat, sed ferueat & amet id quod lau=dat. oderit, quod uituperat.

In Chio dianę facies est in sublimi posita, cuius vultus intrātibus tristis, exeuntibus exhilarata ui=det. Ita sordidi quidā adeuntem amicū tristes acci piunt, timētes ne quid petat, aut ne sumptū adfe=rat cōuiua. At alacres dimittūt abeuntē.

Vt ingentes obelisci magno quidē negotio sta tuuntur & collocantur, ob īmensum molis pon=dus. Sed collocati semel, infinitis durant sæculis. Ita arduū est uirtutis aut sapientię parare famam, sed parata nunquam intermoritur.

Vt ingentia

Vt ingentia pondera, quę nullis hoīm uiribus tolli possunt, machinis facile tolluntˀ. Ita quod ui nequeas efficere, ratione & arte facile efficias.

Vt obeliscis prægrandibus tantum ferme substernitur intra terram quantum extat, ut immoti consistant. Ita semper mansuræ famæ, magna firmaq; fundamenta sint, oportet.

Stulte reges Aegyptiorum operam populi, ac pecunias in substruendis Pyramidibus consumebant, quæ nihil habebant, præter stultam & otiosam ostentationē, cum idem in rebus utilibus fieri potuerit. Ita quidam elaborant in difficillimis. Cæterū in frugiferis, hoc ipsum præclarum existimātes, quod in laborioso negotio uersantur.

Sicut Pyramis quam Rhodope meretricula Aesopi conserua, construxit pecunia corporis quæstu collecta, maiori miraculo famaq; fuit, q̃ cæteræ regum Pyramides. Ita uehementius miramur, si quid recte faciunt, a quibus tale nihil expectabatur. Veluti si quis Hollandum uideat peritum equitem, aut frugalem Anglum, aut Theologum eloquentem.

Vt labyrinthos non oportet ingredi sine filo, quod secutus possis redire. Ita non est suscipiendum negotium, nisi prius perspecta ratione, qua te possis inde rursus explicare.

Vt in admirādis operibus, sed inutilibus, maior est laus artificis, cuius arte res confecta est, q̃ re

 gis cuius

gis cuius impēdio. Ita belli gloria maxĩa ex parte penes militem est conductitium, quorũ industria geritur res, minima pars ad reges redit, qui aliena etiam pecunia militem conducunt.

Vt Dianæ Ephesiæ tēplũ uiginti annos a tota Asia factũ, tot regũ impēdio, tot artificũ ingenijs confectũ, Herostratus obscurus homo nocte una poterat exurere. Ita facillimum est urbes egregias bello demoliri. at ædificare, difficillimum.

Quemadmodum ædificia in palustri solo posita, nec terræ motu quatiuntur, nec hiatu obsorbentur. Ita humilis fortuna non est maximis malis obnoxia.

Sicut Echo non sonat, nisi cum reddit acceptã uocem. Ita nonnulli quicquid in ipsos dicitur, in alterum regerunt, aut non habent quod dicant, nisi dicta referant aliena.

Vt olympię porticus uocem acceptam arte septies reddit, unde Heptaphonon oppidani uocãt. Ita quosdam, si uno tangas conuicio, sexcenta regerunt, aut si paucis ad loquendum prouoces, garriendi finem non faciunt.

Vti magnes non quiduis ad se trahit, sed ferrum dũtaxat, cum sint alia multo leuiora. Ita quorundam oratio non mouet omnes, sed iam propensos ad id, quod illi suadent.

Vt quidam magnetes ferrũ attrahunt. at Theamedes, qui in Aethiopia nascitur, ferrum abigit

respuitq;.

respuitque. Ita est musices genus, quod sedat affectus, est quod incitet.

Vti magnes occulta quadam & incognita ui ferrum ad se trahit. Ita sapientia secreta quadam ratione, trahit ad se animos hominũ.

Vt equus strigosus imputat nõ equi culpæ, sed equi sonibus. Ita populus male moratus epis.

Vt magnes ad se trahit omne ferrum, sed Aethiopicus magnetem quoque alium ad se rapit. Ita rex populum, quo lubet, cogit. At ingens aliquis rex, etiam regibus cæteris uim facit.

Vt gagates aqua infusa incenditur, oleo restinguitur. Ita quidã, quo magis roges, magis frigescunt. Si negligas, ultro cupiunt. Aut sunt quos officijs alienes, neglectu, puoces ad amorẽ.

Vt lapis e Scyro fluctuat ĩteger, sidit cõminutus. Sic res discordia pessum eunt, cõcordia sustinent.

Siphnius lapis oleo excalfactus durescit, alioqui mollissimus. Ita quosdam benefactis reddes deteriores.

Quemadmodũ de Carthaginensibus dictum est, quod ad tecta pice, ad uina calce uterentur. Ita quidam præpostere rebus utuntur, amicis asperi, supplices inimicis. Carthaginienses pice linebant parietes, cum uasa picari soleant, & musta calce condiebant, author Plinius.

Calx aqs accendit. Ita quosdã cõtraria mouẽt.

Gypso madido statim utendũ, quod celerrime

siccetur.

ſiccet. Ita ſtatim fingenda lrīs ac moribus ætas ru-dis, priuſq̄ durior non admittat fingētis manū.

Diſſi-mile.

Gypſum etiā ſi iam induruit, tn̄ tundi rurſum, & in farinā reſolui pōt. Simul atq̄ ſemel induruit ingeniū adoleſcētis, ætate, uitijſq̄ nō pōt refingi.

Vt uitrū, quia pellucidū nihil cælat. Ita quidam nihil tegere, nihil diſſimulare norunt, quicquid in anio eſt, id protinus om̄ibus palam eſt.

Vt ijs qui cæcutientibus ſunt oculis, quiuis lo cus obſcurus eſt. propterea quod caliginē ſecum in oculis circumferunt. Ita parum eruditis, omnis liber ac ſtylus difficilis eſt, & obſcurus.

Sicut ignis in oĩbus officinis, oĩm artiū & ope rū eſt īſtrumētū. Ita ſine charitate, nihil recte gerit.

Vt uitrū copia uiluit, alioqui nec auro, nec ar-gento ceſſurū. Ita ſacerdotes ob turbā minoris fi-unt, magno in pretio futuri, ſi ſingulæ ciuitates, ſingulos haberent ſacerdotes, ut olim.

Sicut primū pictura cœpit ab umbris et lineis, deinde monochromata, poſt acceſſit lumē & um bræ una cum colorū uarietate, donec ad ſummā artificij peruenit admirationē. Ita uirtus in nobis non ſtatim abſoluta naſcitur, ſed paulatim quoti-dianis auctibus, ad ſummū perducitur.

Vt nō eſt optima imago, quæ materia teſtatur opes locatoris, aut artē pictoris, ſed quæ rem pro-xime repn̄tat. Ita optima eſt eloquentia, quæ non oñtat ingeniū dicentis, ſed rē aptiſſime oñdit.

Vt Zeuſis

Vt Zeusis picturus Iunonem Agrigentinis, o-
mnibus uirginibus inspectis, quinq; præcipuas
elegit, ex quibus quod esset in unaquaq; præci-
puum, imitaretur. Ita e plurimis optimi nobis ad
exemplũ uitæ, aut dicendi, proponẽdi sunt, nec in
his tñ reddenda sunt om̃ia, sed optima.

Vt nõ quiuis pictor quauis in parte artis ualet,
sed hic in dijs exprimendis præcipuus, alius in
uultibus reddendis, alius in lineis excelluit, alius
in colorum mixtura, alius in symmetria. Sic qui
uirtutẽ profitentur, alijs dotibus enitent, alij item
in eloquentia, seu literis.

Qui ex balneo calent uehemẽtius frigescũt, &
aqua frigidior esse solet, quæ prius caluit. Ita uehe
mẽtius sese oderũt, qui prius fuerint amici, & scele
ratiores sunt, q̃ a pia uita, ad impiã se trãstulerũt.

Vt hyeme media Halcyones summa fruũtur
tranquillitate, & hanc etiã alijs cõicant. Ita cũ ma-
xime sæuit fortuna, tũ maxĩe animi trãquillitate
fruunt̃ pij, & hanc in alios, q̃s possunt trãsfundũt.

Cum asinus ipse sit ἀμουσότατος, ex ossibus
tamen huius optimæ fiunt tibiæ, ut ait Aesopus
apud Plutarchum. Ita diuites ipsi indocti, tamen
pecunia sua suppeditant ingeniũ studiosis.

Plutarchus testatur se uidisse in Africa coruos,
qui lapillos in aquã aggesserint, donec aqua eo-
surgeret, ut contingi posset. Idem narrat de cane
conijciente lapillos in amphorã oleariã. Ita nobis
quod uiri-

qđ uiribus diminutũ erit, ingenio supplendũ est.

Formicæ triticũ arrodunt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile. Sic potentes quo ministris perpetuo utant̃, premũt, ne si emerserint, tedio seruitutis relinquant aulam.

Bucephalus Alexandri magni equus, quoties nudus esset, equisonẽ in tergũ admittebat, ornatus regijs phaleris neminẽ ferebat, nisi regẽ ipsum in reliquos omneis ferociebat. Ita tenues quẽuis ferunt, diuites facti, despiciunt vulgares.

Vt Timanthes, qui Iphigeniã pinxit, cæterorũ affectus expressit, Agamẽnonis aũt vultum uelo obtexit. Ita quædã melius delinquũtur suo cuiq; iudicio æstimanda, q̃ uerbis explicant̃.

Vt laudatur in hoc Timanthes, quod in omnibus eius operibus plus semper intelligitur q̃ pingitur. Ita optimum orationis genus, in quo plurima cogitationi relinquuntur, pauca narrantur, & plus inest sensuum q̃ uerborum.

Notatus Protogenes, alioqui summus in pictura artifex, q̊d nesciret manũ tollere de tabula. Ita quidã scriptores ĩmodica diligentia peccant, quibus nihil unq̃ satis emendatũ uidetur.

Quemadmodũ Protogenes pictor Apellem ex unica linea cognouit, nunq̃ alioqn uisum. Ita ex unico responso ingenium & prudentiam uiri deprehendet, qui sit ipse sapiens.

Vt Apelles pictor queri solitus est perisse diẽ, in quo

in quo non duxiſſet lineã. Ita chriſtianus dolebit, ſi quo die non euaſit ſeipſo melior in pietate.

Vt ſigna quædã argillacea ſummo in pretio fuerunt, ob admiratione͂ artis. Ita nõnunq̃ res humiles ac nihili, ingeniũ oratoris cõmendat.

Vt Gypſum, aut argilla dum eſt uda, in quãuis imagine͂ facile ſequitur fingentis manũ. Ita rudes anni, ad oe͂m diſciplinam ſunt idonei.

Vt quod maiore negotio ferro aut marmori inſculpſeris, durat diutius. Ita quod maiore ſtudio diſcimus, nunq̃ obliuiſcimur.

Vt illud opus eſt laudatiſſimum, in quo ſimul & ars commendat materiam, & materia uiciſſim artem. Ita liber eſt optimus, in quo & argumenti utilitas commendat eloquentiam, & authoris facundia commendat argumentum.

Accius poeta cum eſſet ipſe admodum breuis, tamen in æde camœnarum maxima forma ſtatuam ſibi poſuit. Ita quidam re uiles & humiles, ambitione fucoq; dilatant ſeſe.

Vt Perillus, qui Phalaridi taurũ donauit æneum, ſuo periјt inuento. Sic aliquoties malũ conſilium, in caput authoris redundat.

Vt philoſophus miſſa lingua uictimæ rem ſimul & optimã & peſſimã miſit. Sic opes optimæ ſunt, ſi recte utaris, peſſimæ ſi ſecus.

Vt non ipſe ſolum Magnes attrahit, uerum etiam aliud ferrum ad ſe trahit ferrum magneti affrictum.

affrictum. Ita contagio uis uirtutis, aut improbi-
tatis pernicies ab alio in alium transit.

Vt a Seribus mollissima uellera, & ab ijsdem durissimum ferrum mittitur. Sic a quibusdam diuersa proficiscuntur.

Vt carboni semel exusto suffocatoque, si denuo flagret maior est uis. Ita semel sopitum odium, si rursum excandescat, acrius est.

Sicuti terra, quæ auri aut argenti uenas habet, in cæteris fere sterilis esse consueuit. Ita qui congerendo student auro, eiusque metella iam conceperunt in animo nullam bonæ rei frugem producere consueuerunt.

Raro auri & argenti uena reperitur, nisi alia non procul sit, unde & græci nomẽ indidere. Ita nulla uirtus solitaria est, sed alia aliã adiungit.

Argentũ cũ sit candidũ, nigras tñ ducit lineas, uti stannũ. Ita quorundã alia spẽs est, alia facta.

In argento uiuo omnia natant, excepto auro. Nam hoc unũ ad se trahit. Ita nihil insidit animo auari, præter lucrũ, disciplinæ, literæ, probitas, in summo fluitant, non descendunt in pectus.

Vt rem eandẽ diuersa specula uarie reddunt, pro forma speculorũ diuersa. Sic idem factum, diuersi uarie interpretantur, pro animorum uarietate. Quod huic magnum est, illi paruum. quod huic pulchrum, huic fœdum erit.

Vt speculum non reddit imaginem, nisi sub-
sternas ui

sternas uitro stannũ, aut æs, aut aurum, aut simile quippiam solidum, quod imaginẽ non sinat perfluere. Ita non nisi in animis solidis, & uera uirtute nixis, relucet imago ueri.

Vt sunt quidã fontes, qui potu pecudum, atq; etiam hominum, cutem & pilos tingunt albo nigroue. Ita relucet etiã in ipso hoĩs uultu & fronte, quod aiunt, quibus præceptis imbutus sit, & quibus ex authoribus hauriat uitæ rationem.

Gallus phrygiæ fluuius, si modice bibas medetur corporis malis. si immodice, lynphatũ animũ agit. Ita si philosophiæ lr̃as modice attingas, prosunt, sin totũ te illi addixeris studio, sanitatẽ mentis auferunt, & inanis gloriæ furore quodam præcipitem agunt.

In Bœotia ad Trophonium deum iuxta flumẽ Orchomenon, duo sunt fontes, quorum alter memoriam, aliter obliuionem adfert. Ita fere magno alicui bono, magni mali periculum est uicinum.

Vt qui sapiunt, nõ statim e quouis bibunt fonte, propterea quod aliĳ salutẽ adferunt, aliĳ perniciem, nõnulli furorem. Ita non est tutum quẽuis librũ euoluere, quod ex aliĳs haurias affectũ anĩ bonũ, ex aliĳs libidinẽ, aut ambitiosis insaniã trahas.

Qui biberint ex Clitorio lacu, ĳs uini tedium oboritur. Ita qui semel gustarint poeticen, abhorrent a philosophiæ præceptis, aut contra. siue qui se mundanis uoluptatibus ingurgitant, abhorrẽt

 ab honestis

ab honestis illis, ac ueris oblectamentis.

Apud Trogloditas lacus est, qui ter in die fit amarus, ac salsus, ac rursum dulcis, totiesque etiã nocte. vnde & insanus dictus. Sic quidam inæquales, nunc asperi, nunc sunt blandi &c̃.

Periculosiores sunt fontes, qui lympidis aquis blandientes, oculis tamen perniciem adferunt. minus formidandi qui ipsa specie testãtur aquas esse fugiendas. Ita difficilius uitantur mala, quæ boni prætextu fallunt.

Sicuti terra quæ uenas aquarum ocultat, nebulam quandam exhalat ante Solis ortum longius intuentibus. Ita qui uere boni sunt & eruditi, etiã si nõ ostẽtẽt, tñ semp aliquid ex se produũt, unde qui obseruet, dep̃hendere possit subesse uim boni.

In Narniensi agro terra imbre fit siccior, æstu humescit. Vnde Cicero iocatur illic, ex Imbre puluerem, ex siccitate fieri lutum. Ita quosdam admonitio reddit deteriores.

Garus ambusta & infusa medetur malis, sed si interim garum non nomines. Ita quædam beneficia, beneficia non sunt, si commemores.

Terra quæ gignit salem, nihil aliud gignit. Sic ingenia fœcũda in literis, in cæteris fere rebus nõ perinde ualent.

Fons in quo nitrum nascitur, nec aliud quicq̃ gignit, nec alit. Ita sapientiæ studiũ, totum hominis animum sibi uendicat.

Spongijs

Spongijs adeo tenues sunt sensuum notæ, ut multi dubitent anĩalia sint necne. Ita quorũdam is cultus est, is sermo, ea uita, ut dubites Christiani sint, an Ethnici.

Sicuti sal modice cibis aspersus condit, & gratiam saporis addit. Ita si paululũ antiquitatis, aut ioci admiscueris, oratio fiet uenustior, si plus satis, nihil insuauius.

Quemadmodum Echeneis siue remora piscis perpusillus. est autem magnæ limaci similis, q̃uis magnã nauim uelis ac remis incitatã, subito sistit. Ita scortulum aliquoties adamatum ingentes animi ad honesta impetus, retinet illigatq;.

Torpedo piscis haud nocet nisi cõtactu, sed uirus suũ etiã ab ære per linum, & harundinis internodia ad piscatoris manum mire transmittit. Sic improbi ac pestilentes haud nocent, si nihil cũ illis habeas commercij, uerum quacunq; consuetudine contacti morum uenena afflant.

Lepus piscis homini certissimũ est uenenum, & homo uicissim illi, adeo ut uel digitulo cõtactus, statim emoriatur. Ita hostes mutuam utrinq; perniciem dant, & accipiunt.

In nassam facilis illapus est, sed exitus difficilis. Sic decliue iter in uitia, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis.

Murena fuste non potest interimi, ferula protinus. Ita quosdam leue incommodum exanimat,

ut conuitium, qui grauissimas fortunæ procellas in fracto tulerunt animo.

Murena non in capite, sed in cauda animã habet. Ita quod charissimũ est, non ibi recondendũ, ubi statim periculis sit obnoxium.

Vt piscis in mari nati, educatiq;, nihil tamen sapiunt salis marini. Ita quidam inter barbaros geniti & educti, longe absunt ab omni barbarie.

Vt magi, uerbis etiam non intellectis, prodigiosa quædam efficiunt. Ita sacerdotes nonnulli precibus non intellectis, bona tamen fide pronũtiatis, deum conciliant ac mouent.

Vt Appion Homerum ab inferis euocatum, nihil aliud interrogauit, q̃ quibus parentibus genitus esset. Sic quidã grauissimorũ uirorum concilio cõuocato, de meris nugis consulunt.

Vt magi prodigiosa quædam promittunt, iisq; promissis vulgus credulum alliciunt. Ita principes maximarum rerum spes ostentant, ut sibi reddant addictos.

Vt in magicis artibꝰ vulgus hoc magis admirat̃, quominus ꝑcipiũt rationẽ, cur illa aut illa tam absurda præscribantur. Ita quidã magis admirantur stilũ aut carmen, quod non intelligunt.

Queãdmodũ medici, quo doctiores uideant̃, diuersas rerũ spẽs, ex diuersis mũdi partibus petitas, inter se cõmiscent. Ita quidã ostentatores, orationẽ parum eruditã uideri credũt, nisi ius cæsareũ

ac ponti

ac pontificiũ, Poetas, Oratores, Philosophos, Sophistas, simul cõmiscuerint. Et pluribus authoribus, ac literis consarcinarint, q̃ mithridaticum ferunt fuisse concinnatũ, id constabat quinquaginta quatuor, diuersis rerũ generibus.

Vt periculosum est dæmões euocare, propterea quod si quid erratum fuerit, magno conantis discrimine fiat. Nam aiunt Tullum Hostilium ictum fulmine, quod ex Numæ libris Iouem deuocare conatus, quædam parum rite fecisset. Ita periculosum est, cum principibus habere cõmercium, aut cũ morosis potentibus, quod offensi re qualibet leni funditus subuertant hoïem.

Quemadmodũ Magi sibi conscij, fucum esse quod promittunt prodigiosis quibusdã, ac præscriptis cerimonijs dementant ac territant infirmiores. Ita quidam sacerdotes cum procul absint a uera pietate, cerimonijs inuoluũt indoctos quo plebem sibi habeant obnoxiam.

Vt auguria & auspicia non ualent, nisi ijs qui quærunt & obseruant. Ita præcepta philosophiæ non mutant nisi hos, qui meliores fieri student, & hoc animo ad legendum accesserint.

Crocodilus inuictum alioqui, & pernitiosum animal, tamen Tentyritas adeo metuit, ut ad uocem etiã expauescat. Ita tyranni cum omnes contemnãt, tamẽ eruditorum literas subtiment.

Vt quorũdã hoĩm etiã aspectus fascinũ habet.

 Ita sunt

Ita ſunt, quorꝫ oı̄s uitæ conſuetudo mores inficit

Vt Pſylli non ſolū ipſi non lædunt a ſerpentibus, uerū ex alĳs uenenū exugunt. Ita uere philoſophus, nō modo ipſe non tangitur uitĳs, ſed alio rum quoqꝫ morbis, oratione, uitaqꝫ ſua medet.

Semel icti a ſcorpio, nunqꝫ poſtea a ueſpis, crabronibus, aut apibus feriuntur. Ita nullum eſt incommodum, quod non commoditatis aliquid habeat adiunctum.

Vt qui a cane rabido morſi ſunt, non ſolū rabiunt ipſi, uerumetiam alios contagio inficiunt. Ita qui peſtilentem alicunde imbiberint opinionem, & alios ſuis inficiunt colloquĳs.

Vt efficaciſſima remedia nata ſt ex morbis peſſimis Ita bonę leges, ex malis ꝑgnatę ſt moribꝰ.

Sicut ex uipera, Crocodilo, cæteriſqꝫ nocentiſſimis beſtĳs medici remedia quædam aduerſus uenenorum noxam, ac morbos efficacia quærūt. Ita animaduerſio in nocentes, multos uel arcet, uel reuocat a facinoribus.

Crocodilus anceps animal nunc in terris agit, nunc in aquis, in terra ponit oua, in aqua prædatur & inſidiatur. Ita quidam ſimul & aulici ſunt, eccleſiaſtici, utrobiqꝫ peſtilentes.

Chamæleon, quia pauidiſſimum animal, ſubinde colorem mutat. Ita qui uiribus non pollent, ad uarias artes confugiant, neceſſe eſt.

Lynces clariſſime omnium animantium cernunt, ſed

nunt,ſed mira illis obliuio rei ab oculis ſemotæ. Ita quidã acri ingenio,ſed obliuioſi.

Quædã remedia triſtiora ſunt ipſo morbo, ut ſatius ſit oppetere mortem, q̃ his occupari ſalutẽ. Velut fugere ſanguinẽ e vulnere recenti gladiatorum morientiũ. Ita quandoq; ſatius eſt ferre iniuriam,q̃ maiore incommodo ulciſci,ferre pacem, etiam ſi parum cõmodam aut æquam, q̃ bellum cum immenſis malis ſuſcipere.

Scorpius lætale uenenũ habet, Aconitũ lætalius, tñ hoc in potu datũ, aduerſus ſcorpionum ictus remediũ habet. Ita dum uenenũ cum ueneno colluctat̃, ſeruatur homo. Itidem duorũ peſtilentiũ ciuium diſcordia,nõnunq̃ reip.ſaluti eſt.

Aconitum etiam contactu necat. Ita quorundam conuictus protinus inficit, aut ſi uel tantillũ cum illis inceptes commercij.

Olim in Capitolio certabant quadrigæ latinis ferijs,uictor abſinthium bibebat. Ita ſalubria magis quærenda ſunt,q̃ iucunda.

Sorba quæ magis blandiuntur ſpecie, uenenum habent. Ita blandiores amici magis cauendi, q̃ triſtes atq; aſperi.

Empetron herba,latine calciſraga,quo propius abeſt a mari,hoc magis eſt ſalſa, quo longius, hoc amarior eſt. Ita quidã apud Gallos Germaniã ſpirant,apud Germanos Galliam,& quo longius abſunt,hoc magis referunt eam gentẽ.

Vt optima remedia maxi͂e perniciẽ adferunt, nisi apte sumantur. Ita Christi sacramẽta salutaria recte sumẽtibus, lætalia indigne accipientibus.

Herbæ salutares cõsuetudine perdunt medendi uim. Ita admonitio si assidua sit, non emendat assuetum iam obiurgationibus.

Vt qui ante uenenũ sumunt antidotũ, non læduntur ueneno. Sic qui salubribus opinionibus, ac decretis confirmarint animũ, non inficient oratione malorũ, si forte in eos inciderint.

Vt Mithridati quotidie sumenti uenenũ, consuetudine factum est innoxium. Ita mala quibus assueueris, non offendunt.

Vt suus cuiq; morbus uidetur atrocissimus. Ita suũ cuiq; incõmodum, maxime dolet.

Vt herba moly difficile quidẽ effoditur, sed ad remedia, præter cæteras efficax est. Ita quæ præclara sunt, non contingũt, nisi magno negotio.

Vt inter salutares herbas nascunt̃ et uenena. Ita ex authoribus quę recte dixerint, sunt excerpẽda.

Vt Elleborum concitatis intus o͂mibus, ipsum in primis exit. Ita dux fortis adhortatus suos, inter primos prodit in hostem, uelut inquit Herophilus auctore Plinio.

Vt Elleborũ, si parcius sumas, magis offendit, quod inhæreat uisceribus, inficiatq; corpus. Sin copiosius, erumpat celerius, ita non est obiurgandus amicus, nisi ea uehementia, quæ uicio liberet illius ani

illius animum. Nam leuior expostulatio contristat amicitiam nullo fructu.

Vti Elleborũ tametsi efficax, tamen medici uetant dari senibus, aut pueris, aut exilibus. Ita admonitio sic est temperanda, ut ferre possit quem uelis emendare. Nec solum spectandũ est uitium, sed natura quoq; eius, cuius uitio studeas mederi.

Vt vulgus ineptum magno labore, magnoq; impendio remedia ab extremis Indis, aut Aethiopibus petunt, cum in hortis nobis nascatur, quo morbis mederi possimus. Ita præsidia beatæ uitæ magno molimine foris querimus, in imperiis, in opibus, in uoluptatibus, cum in animo sit, quod nos beatos efficiat.

Climenos herba ita morbo medetur, ut sterilitatẽ adferat etiã in uiris. Ita quidam malũ aliquod ita profligant, ut aliud diuersum admittant.

Minor uis inest in radicibus herbarũ salubriũ, cum semẽ maturescit. Ita deterior fit ingenij, naturæq; uis, quoties liberis gignendis datur opera.

Herbam canariam canis ita mandit, ut homo non cernat, nisi depastam, & percussus a serpente aliam quandam petit, sed eam non decerpit inspectante homine. Ita quidam disciplinas a se repertas cælant, ne prosint & alijs.

Lotos, quam latini fabam græcam uocant, ramenta ligni habet amarissima, fructum dulcissimum. Ita conatus ad summam uirtutem durus

 est, fructu

est, fructu nihil suauius.

Vt uitis refugit brassicam, quercus aborret ab olea, multo magis autẽ a nuce iuglande. Nam uitis cum oĩa complectat̃, solam brassicã declinat. Quercus si in scrobem oleæ depacta fuerit, emoritur. Eadem & iuxta nucem iuglandẽ inarescit. Sic inter quasdam nationes naturale dissidiũ est, ut nullo pacto queant coalescere concordia.

Vt Democritus medicus Considiæ mulieri, omnem curationem austeram recusanti, lac caprarum dedit, quas lentisco pascebat. Sic ijs qui prorsus abhorrent a tetricis philosophiæ præceptis, fabellæ quædam amœniores proponendæ, sed quæ philosophiam resipiant.

Ferula solis asinis gratissimũ est pabulũ, cęteris aniantibus p̃sentaneũ uenenũ. Ita q̃d alios offendit, alijs uoluptati est. Hædera pota neruis nocet, eadẽ foris adhibita prodest. Sic philosophiã si penitus imbibas, nocet ad pietatẽ. Si leniter & ueluti foris admoueas, prodest ad eruditionẽ.

Arundinis radix cõtrita & imposita filicis stirpem corpore extrahit, item arundinẽ filicis radix. Ita uicissim & pecuniæ studiũ eximit animis amorem sapientiæ, & sapientia studiũ pecuniæ.

Rhododaphnes arboris folia quadrupedibus uenena sunt, hoĩbus p̃sidia aduersus serpentes. Ita diuinæ literæ sobrijs ac prudentibus salutarem præbent alimoniã, stultis aũt & impijs hæreseos, & maio

& maioris impietatis ministrant occasionē.

Vt q̄d nulla ui efficies, id aliquoties fit herbæ succo, si modo quā oportet, adhibeas. Ita quosdā magis pmoueris apta q̄ uiolenta orone.

Vino modico nerui & oculi iuuant, eodē copiosiore læduntur. Sic lr̄is modice gustatis adiuuatur uita, eadem læditur, si quis īmodice incūbat.

Sicuti uina & poma subacerba uetustate mitescunt, dulcescuntq;. Sic ætatis insolentia, longo rerum usu mitigatur.

Chamæleon herba mutat foliorum colores, cum terra in qua nascitur, hic nigra, illic uiridis, alibi cyanea, alibi crocea, & alijs alijsq; coloribus. Ita conuenit hominem pro loco in quo agit, uitæ habitum commutare.

Quēadmodum Heliotropiū herba, semper in eam spectat partem, qua sol est, & eo condito florem contrahit. Sic nōnulli ad regis omnes nutus obsecundant, & in quodcunq; uiderint illum esse propensum, in id feruntur & ipsi.

Adyanton herbam etiam, si perfundas aqua aut immergas, tamē siccæ similis est. Ita in uirum bonum non hæret cōtumelia aut infamia, etiam si quis infamare conetur.

Vt in rerū natura, quæ spectatissime florent, celerrime marcescūt, ueluti rosæ, lilia, uiolæ, cum alia durent. Ita in hominum uita, quæ florentissima sunt, citissime uertuntur in diuersum.

Vt rosa

Vt rosa, flos unus omnium longe gratissimus de spinis nascitur. Sic e tristibus & asperis laboribus, fructus capitur iucundissimus.

Crocũ gaudet calcari, premẽdoq; melius prouenit. Vnde iuxta semitas, & fontes lætissimũ est. Ita uirtus aduersis exercita rebus, lætius emicat.

Vt nihil insidiosius melle uenenato (nam sunt quædam huiusmodi.) Ita nihil magis cauendum q̃ blandus hostis.

Vrtica sine aculeis adurit, ac vulnerat sola lanugine, soloq; contactu. Ita quidam non aperta ui, sed clanculum nocent.

Quẽadmodũ urtica, si contanter attingas ac timide, adurit. sin p̃mas tota manu, non adurit. Ita pecunia si cautim, circũspectimq; tractes, inficiet. Sin contẽptim ac neglectim, innoxia est.

Vt radix, quã medici vulgo rebarbarum uocant, cum sit biliosa, tamẽ peculiari quadam ui bilem pellit. Ita fit nonnunq̃, ut amor pellat amorẽ, ceu clauus clauum, ira iram &c̃.

Vt est quædam uenenorũ contraria natura, sicut sæpenumero uenenũ ueneno pellatur. Sic uitium uitio pellitur, & malus malo obĳcitur.

Vt tutissimũ est in trifolio cubare, quod in hac herba negent serpentẽ aspici. Ita in his uersandũ libris, in quibus nulla uenena timẽtur.

Quemadmodum Panace herba una, contra morbos oẽs habet remediũ. Ita Christi mors una,

aduersus

aduersus omnes cupiditates noxias efficax est.

Vt Nepenthes herba, ab Homero prædicata, addita poculis omnem conuiuij tristitiam discu- tit. Ita bona mens insita nobis, omnem uitæ so- licitudinem abolet.

Vt acetum acre quidem gustu, sed aduersus ser pentium ictus mire ualet. Ita præcepta philoso- phiæ austera quidem illa, minimeque blanda, sed contra pestiferas animi cupiditates remedium ad ferunt præsentaneum.

Medici uetant uti Halicacabo, quamquam dentibus fir mandis prodest, si eius succo colluant, propterea quod periculū est, ne si diutius id fiat, delirationē gignat, & plus adfert incōmodi quam commodi. Ita non est utendum his literis, quę sic linguam expo liunt, ut mores inficiant. Aut non conuenit sequi, quæ sic augent rem, ut famam lædant.

Sicuti nasturciū ad uenerē quidē reddit segnio- rem, sed animi uim acuit. Ita philosophiæ studiū corporis curā ac uigorem ad animi uigorem tra ducit. Vt hoc plus sapiat homo in rebus æternis, quo magis stupet ad ista corporea, crassaque &c̄.

Quemadmodū in superioris Libyæ populis, quoniā mulieres cōmunes sunt, ut in Politicis te- statur Aristoteles, filios iuxta similitudinē forma- rum partiunt. Ita confusis operū titulis styli simili tudinē, & orationis phrasin oportet spectare.

Vt qui comœdos audiunt, non ob hoc audi- unt, ut

unt, ut ipsi comœdi fiant, sed ut uoluptatem capi-ant. Ita nunc permulti concionantē audiunt, non ut imitatiōe meliores fiant, sed uti delectent.

Vt Pharmacopolæ bracteis aureis tegunt remedia quædam, ut pluris uendant. Ita quidam lenocinio uerborum nihil ad rem pertinentium, rem commendari putant.

Sicut unda undam perpetuo propellit. Ita dies diem trudit.

Vt a currente flumine tantū habes, quantum hauris. Ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocaris.

Dissimile. Luna semel extincta, subinde renascitur, & ubi consenuit, reiuuenescit. At homo nec renascitur mortuus, nec repubescit senex.

Dissimile. Post hyemem denuo recurrit uer. At post senectam nulla recurrit iuuenta.

Dissimile. Sol post occubitū redit nouus, homo nō item.

Vt stultum sit relictis fontibus consectari riuulos. Ita ineptum est relictis euangelijs, Lyræ, & similium somnia sequi.

Vt maximi medici, minores quoq; morbos optime sanant. Ita doctissimi præceptores, & minima optime docent.

Vt lamiæ domi cæcutientes, foris nihil non uident. Ita quidam in alienis negotijs plus satis oculati, in suis parum perspiciunt.

Vt impēdio malignus sit, qui fontē scatentem obtegat,

obtegat, aut Solem obradientē prohibeat, aut lu-
men recuset de suo lumīe accendere, aut uiā mon
strare grauet. Ita uehemēter sit inhumanus, qui ꝓ-
desse nolit citra ullum suū incōmodum.

Vt equæ conspecta in aquis forma sua agun-
tur in rabiem, authore Columella. Ita quidam ni
mium admirantes sua, ad insaniam usq; reddun
tur insolentes.

Vt bonaso cornua oneri sunt tantum, nulli au
tem usui, adeo sunt in se reflexa. Ita Sophistæ dia-
lecticen habent, sed qua neminem reuincere pos-
sint, adeo est intorta.

Pardus odoris gratia allectas feras inuadit, at-
q; occidit. Ita quidā blandiloquentia irretitos fal-
lunt, ac perdunt. Sic principū aulæ habent, nescio
quid blandū, quod inuitet in perniciem.

Qui tigridis catulos rapuit, bene secum agi pu
tat, si uel unum insequenti matri auferat impune.
Ita qui alienam inuasit possessionem, etiam si co-
gatur reddere, lucrum tamen facit, si uel portio-
nem aliquam retineat.

In pantheris, quod speciosissimū esse oportuit,
id cælandū est, ut placeat, reliquo corpore macu-
lis picturato. Ita in quibusdā om̄ia placent, præ-
ter uitā, quod est totius negotij caput.

Vt Tarandi cutis ferro impenetrabilis. Ita
quosdam nihil queas dictis lædere.

Hyæne, sicut & Ichneumon, nūc mas est, nunc
fœmina.

fœmina. Ita quidam sui dissimiles, nunc fortia lo-
quuntur, nunc mollia &c.

Vt Aspalacus nõ nisi apud Bœotios uiuit, ubi nascitur, alio translatus perit. Ita quidam peregre uiuere non possunt, nulla instructi arte.

Chamæleon quoniam aura pascitur, non cibo, semper hianti est ore. Ita qui gloriolis & auris aluntur popularibus, semperq; aliquid captant, quod famam augeat.

Amphisbena serpens utrimq; caput habet, & utralibet corporis parte pro cauda utitur. Ita quidam ancipites, nunc hac, nunc diuersa ratione se tuentur. Et cum est cõmodum ad ecclesiasticam libertatem confugiunt. cum uisum est, principum prætextu rem gerunt, canonum obliti.

Prophyrus serpens uenenum habet, sed quoniam edentulus est, sibi habet. Ita quidã male cogitant, sed quod desit facultas, nemini nocent.

Vt palma, qui cortice sit cultellato, difficilis quidem est ascensu, sed fructum habet dulcissimum. Itidem eruditio, & uirtus aditũ habent difficilem, sed fructum dulcissimum.

Sicuti mũdus undiq; teres, ac rotũdus sibi constat. Ita sapiẽs nihil extra se quęrit, seipso cõtentus.

Vt stultissimum est cum huius mundi, in quo nati sumus, naturam cognoscere non possumus, alios innumerabiles mundos foris quærere. Ita absurdum est neglectis rebus domesticis de alienis esse so-

nis esse so-

enis esse solicitum & curiosum.

Sicuti deus cum nihil non uideat, nihil tamen uidenti similis est. Ita princeps nihil ignorare debet, multa dissimulare.

Vt deus plurimum sapiens, & intelligens minimũ loquitr. Ita sapiens non nisi necessaria loquitr.

Sicut ex cõtrarijs elemẽtis mira harmonia temperatus est mundus. Ita diuersis hominum studijs constat respublica.

Vt deus quo nihil est melius, minime apparet. Ita quod est in homine optimũ, nempe mens bona, maxime latet.

Vt unus deus administrat uniuersa, sed qui sit optimus ac sapientissimus. Ita monarcha res sit saluberrima, si detur deo similis.

Vt orbium diuersus in cõtraria nisus motum omnium temperat. Ita senum contatio, iuuenum in republica feruorẽ, ac præcipitantiã moderatr.

Vt Sol non alius est pauperi, alius diuiti, sed omnibus cõmunis. Ita princeps personã spectare non debet, sed rem.

Vt idem Sol ceram liquæfacit, & lutum indurat. Ita eadem oratio alios reddet meliores, alios deteriores, pro ingeniorum uarietate.

Quemadmodum Luna, quo propior est Soli, hoc minus habet luminis. Ita plus fructus ac dignitatis est ijs, qui ꝑcul absũt a magnis Principibꝰ.

Vti Solis defectus, magnam mortalium perni

k ciem trahit

ciem trahit. Ita regis error, etiam leuis, magnã tñ in rebus humanis gignit perturbationem.

Sicut Mercurius q̃ minimo ſpatio diſcedit a Sole, licet alioqui uagus & errabundus. Ita nõ oportet longius ab honeſto diſcedere ſapientem.

Vt cometes nouus apparens, aut magnum bonum, aut ingens malũ portendit mortalibus. Ita nouus princeps ſalutem adfert rebus humanis, ſi bonus eſt. maximam peſtem, ſi malus.

Vt plures apparere ſoles prodigiũ eſt. Ita plures eſſe monarchas, aut imperatotes.

Vt Luna quod luminis accepit a Sole, mundo refundit. Ita donum a deo acceptũ incõmodum aliorum eſt conferendum.

Vt Caſtoris & Pollucis faces ſi ſolitarie appareant, dictum eſt oſtentũ. ſin geminæ, ſalutare. Ita non oportet potentiã eſſe ſeiunctam a ſapientia, alioqui peſtilentem.

Vt Saturnus qui ex ſeptẽ erronibus ſummũ tenet locũ, tardiſſime circumagitur. Ita qui in ſumma conſtituti ſunt poteſtate, q̃ minime præcipites oportet eſſe.

Vt ſtellæ ſubito natæ, ſubito item euaneſcunt, aut decidũt. Ita qui repente ſubuehuntur ad ſummos honores, cito præcipitari ſolent.

Vt canicula peſtilens eſt oĩbus ſydus. Ita principis mali poteſtas omnibus nocet.

Luna præcipue mouet inferiora, non quod efficatior,

ficatior, sed quia propior. Ita multum habet momenti ad res conficiendas uicinitas.

Vt bruta fulmina montes feriunt irrito ictu. Ita stulta potentia suas uires, in quod nihil opus est, consumit.

Vt Africæ Auster serenus est, Aquilo nubilus, præter aliarum regionum naturam. Ita quidam cum regione mutant ingenium ac mores.

Sicuti nec Aegyptus ob calorem, nec Scythia ob rigorem sentit fulmina. Ita uel ingens potentia, uel extrema fortunæ humilitas, tutum reddit a contumelijs.

Vt autumno & uere maxime fulgurat, minus hyeme, aut æstate. Ita mediocris fortunæ celsitudo ictibus obnoxia est.

Vt quædam fulmina æs ac ferrum liquefaciunt, ne cera quidem confusa. Ita diuina uis, aut regia potestas, in obsistentes sæuit, mollibus parcit & cedentibus.

Vt non solum stultum est, uerumetiam periculosum euocare fulmina. Ita dementia est, reges ad se accersere, qui non nisi magno nostro malo prouocantur.

Vti fulmen quodcunque animal protinus occidit, excepto homine. Ita fortunæ procellæ indoctos, ac brutos protinus animo dejciunt, sapientem non item.

Qui in altis sunt specubus, a fulmine non fe-

 riuntur.

riuntur. Ita infima fortuna tutissima est.

Sicut aliquando tonat sine fulgetris, idque tonitru terrorem habet, periculo uacat. Ita quorūdam minæ terrent, non nocent.

Hypanis fluuius Scythicorum amnium princeps, per se purus & dulcis, circa Callipodas Exampeo fonte amaro inficitur, atque itaque dissimilis sui in mare conditur, de quo quidem est illud Solini elogium. Qui in principiis eum norunt, prædicant, qui in fine experti sunt, nō iniuria execrantur. Ita quidam initio blandi & amici, postea longe dissimiles sui reperiuntur.

Vt Attagen alias uocalis, captus obtumescit. Ita quibusdam seruitus adimit uocem, qui liberi loquebantur, aut sponte loquuntur, aut canunt nonnulli, si cogas, reticescunt.

Memoria similis reti, quod maiora continet, minuta transmittit.

Vt arbor excisa repullulat, euulsa nō refruticatur. Ita malū, si penitus tollat̄, non renascit̄.

Vt auibus pennas accidimus, ne longius auolent. Ita quibusdam opes & authoritatem, ne se tollat in altum.

Vt accisæ pennæ tempore renascuntur. Ita nisi assiduæ premas, renascitur potentia.

Vt qui chirurgi manus horrent diæta curantur. Ita qui asperiora non ferunt remedia, leuioribus remediis sunt corrigendi.

Vt si Vene-

Vt ſi Venerem ſuam Apelles, aut ſi Protoge-
nes Hialyſium illum ſuum cœno oblitum uide-
ret, magnum acciperet dolorem. Ita ſi quis con-
ſpiciat eum corruptũ, quem ad bonos mores in-
ſtituiſſet, aut ignominijs affectum, quem ornaſſet
honoribus, iniquo animo ferret.

Vt mulieres ob hoc ipſum bene olent, quia
nihil olent, & in quibuſdam delectat cultus negle
ctus. Ita theologica oratio hoc ipſo uidetur orna-
tior, quod ornamenta neglexit.

Vt magis eſt probanda medicina, quæ uitio-
ſas corporis partes ſanat, q̃ quæ exurit. Ita meli-
or eſt magiſtratus, qui ciues improbos corrigit,
q̃ qui tollit e medio.

Vt apud iureconſultos, etiã qui frigidã ſuffun-
dunt, ſimili notant infamia. Ita culpandus, qui ad
turpia hortat, non is ſolũ qui turpia facit.

Vt qui parant ſtatuã facere, prius rude quod-
dam ſimulachrũ fingũt e trunco, poſtea dolant ac
poliunt. Ita qui orationẽ, aut librũ inſtituit.

Vt callus tẽpore factus adimit ſenſum. Ita diu-
tina mala conſuetudo facit, ut leuius feramus.

Vt natura non eſt eadem om̃ibus locis, neq;
flatuum, nec maris, nec pluuiæ, nec arborum, nec
animantiũ. Ita non oportet hominẽ ubiuis eundẽ
eſſe, ſed cum loco, ac tempore uariari.

Vt Euripus in Eubœa ſepties in die defluit, ac
toties refluit mira celeritate. At idem tribus die-

bus unoquoq; menſe ſtat immotus, ſeptima, oe ctaua, nonaq; Luna. Ita quidam inæquales ſibi, aut nimium præcipites ſunt, aut nimium lenti, in utranq; partem plus ſatis uehementes.

Vt æſtum maris, auctus, aut detrimenta Lunæ magis ſentiũt imbecilliora corpora. Ita rebus con trariꝭs uehementius commouetur animus, minus ſibi conſtans, & affectibus uitiatus.

Vt conchylia, creſcente Luna augeſcunt, decre ſcente marceſcunt. Ita ſtultus a fortuna pendens, nunc magnus eſt, nunc puſillus, nũc elatus, nunc ſupplex, utcunq; Rhamnuſia mutauerit ſeſe.

Vt aqua maris in imo dulcior eſt, q̃ in ſum mo. Ita quo altius penetres in philoſophiam, hoc minus habet amaritudinis.

Tradũt phyſici ueteres, Solẽ marinis aq̃s paſci Lunã dulcibus. Ita ſapientes amara quærũt, mo do utilia, ſtultiq; quæ delectant, ſectant.

Quidam fluuiꝭ per medios lacus erumpunt, ut illis non miſceantur, ſed iꝭdem, eadem aquarum magnitudine poſt multa paſſuum milia exeunt, qua fuerunt inuecti. Ita ſi in uitioſam incideris ci uitatẽ, ita ad tempus utendum hoſpitio, ut idem exeas, qui ueneris.

In Aſphaltite Iudææ lacu. Item in Aritiſſa Ar meniæ maioris nihil mergi poteſt. Ita quidam quicquid commiſeris in propatulo gerunt, neq; quicquam cælare poſſunt.

Vt aqua

Vt aqua marina ad potum inutilis, melius sustinet nauem, quam fluuialis dulcis, & potui aptior. Ita suum unaquæque res usum habet, si quis utatur ad id quod oportet.

In Dodona Iouis fons, cum sit gelidus, & immersas faces extinguat, si admoueris extinctas, accendit. Ita Christus, si cupiditatibus flagrantem attigerit, sedat ac refrigerat. Si deiectum & exanimatum, erigit & animosum reddit.

Lyncestis aqua, quæ uocatur Acidula, non secus ac uinum temulentos reddit. Ita quosdam etiam sua paupertas, & inscitia reddit feroces, & improbos. Eadem enim uitia e diuersis nascuntur causis, ut ex scientia arrogantia, eadem ex ignorantia.

Tirrheus lapis, quamuis grandis innatat, comminutus sidit. Ita concordia sustinemur, discordia pessum imus.

Vt oleum infusum tranquillat mare, & lucem addit. Ita philosophia componit animi motus, & ignorantiæ caliginem discutit.

Vt ad Naphcham (id est bituminis genus) etiam procul uisam ignes transiliunt, ob naturę cognationem. Ita ingenia literis nata, statim eas arripiunt.

Aiunt ignem Chimæræ montis semper ardentis, aqua accendi, fœno restingui. Ita quosdam quo magis ores, minus commoueas. si dehorteris, ultro uolunt.

Vt aquæ salinæ pluuia incidente, dulciores

 sunt cæte-

ſunt cæteris aquis. Ita meliores ſolent eſſe, quos e diuerſa uita mutauerit diuinæ gratiæ influxus, ueluti Paulus.

Vt canes Melitæi potiſſimū in delitijs ſunt, opulentis ac potentibus fœminis. Ita principes effœmiati delitijs, plurimi faciunt adulatores, & ad gratiam oīa tum loquentes, tum facientes.

Vt ſunt flumīa quædam, quæ cum eadem ſint diuerſis locis, diuerſa ſortiuntur nomina. Ita quædam res in alio homine, uarijs nominibus mutantur. velut faſtus in principe, ſplendor appellatur. In priuato, ſuperbia.

Sicuti quo directius nos ferit Sol radijs ſuis, hoc minor eſt umbra nr̄i. quo obliquius, hoc magis increſcit umbra corporis. Ita quāto plus quis ꝙ aſſecutus eſt ueræ ſapientiæ, hoc minus magnifice de ſe ſentit, quo lōgius abeſt ab ea, hoc ſe magis dilatat ſtultiſſima perſuaſione ſapientiæ.

Vt inter tot hominum milia, nullæ facies ſunt per omnia ſimiles, nec ullæ uoces. Ita ſuum cuiꝙ ingenium eſt, ſuus cuiꝙ mos.

Tradunt in Albania naſci homines, glauca oculorum acie, qui noctuarum ritu plus noctu, ꝙ̃ interdiu cernāt. Ita quidam plus ſapiunt in rebus facinoroſis, ꝙ̃ in bonis ac præclaris. Aut in ſordidis potius, ꝙ̃ in egregijs.

Vt Pſylli in Africa, Marſi in Italia, non ſolum ipſi non lædūtur a ſerpentibus, uerumetiam contrectatu,

trectatu, ac saliua medentur, aliis periclitantibus. Ita philosophis non satis esse debet, si ipsi non corrumpantur uitiosis affectibus, uerũ oportet oratione aliis quoq; cupiditates noxias eximere.

Vt homini semper adest remedium aduersus serpentium uirus, nempe saliua, qua contacti, ceu feruenti perfusi aqua, fugiunt, emoriuntur etiam, si in fauces penetrauerit. Sic aduersus omnes pestiferas cupiditates, præsens remedium semper nobiscum circumferimus, si modo nouerimus uti. Id ab animo petatur, oportet.

Qui fascino utunt, laudando necant arbores, sata, pueros. Ita adulator laudando perdit.

Sunt qui aspectu effascinãt hoĩem. Ita inuidus oculus perniciẽ adfert rebus lætis. Nec satis tutus regũ oculus, si qd habeas egregie pulchrũ.

Qui effascinant, in oculis geminam habere pupillam dicuntur. Ita qui utuntur inuidia alienæ fœlicitatis, non eam intuentur oculo simplici, sed quicquid uident, sinistre interpretantur.

Est Indiæ gens dicta Pandora, quæ in pueritia cano sit capillitio, in senecta nigrescunt capilli. Ita nõnulli primis annis sobrii ac modesti, grandiores iam, ad nugas & ineptissimas uoluptates abiiciunt sese, & quasi puerescunt.

Sicuti fœminæ, quæ maturius pariunt, citius senescũt, uelut in Calingis Indiæ gente, quinquennes pariunt, sed octauum non excedunt annum.

 Ita præ-

Ita præcotia ingenia, cito deficiunt.

Vt Androgyni sic utrosq; imitant̄, ut neutrū sint, nec mares, nec fœmīæ. Ita quidā dum & theologi uolūt esse & rhetores, a neutris agnoscunt̄.

Vt mare grauida, minus laborat & in gestatione, & in partu. Ita si rem honestissimam animo conceperimus, minore negotio consequemur, q̄ stulta quędam oblectamenta. Vt qui mundi præmia sequuntur, minore dolore margaritum illud euangelicum sibi parare poterunt.

Agrippæ qui uocantur, quoniam præpostere nascuntur, hoc est pedibus primū emergentibus, malis auspicijs in uitam ingredi creduntur, magnoq; humani generis malo. Vt Marcus Agrippa, & Nero. Ita qui per nefas, ac Simoniā irrumpunt in imperium, aut episcopatum (uti uocant) magnam pestem adducunt sibi, suisq;.

Vt nōnullæ mulieres ex uiris quibusdam non concipiunt, alijs adiunctæ. fœcundę fiunt. Ita sunt qui apud quosdam præceptores indociles, alijs traditi doctoribus, proficiunt. Quod sint ut corporū, ita & ingeniorū cognationes ac dissidia.

Vt horologij umbram progressam sentis, progredientē non sentis, & fruticem aut herbam creuisse apparet, non apparet crescere. Ita & ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex interuallo sentitur.

Vt Elephanti cum nare non possint, tamen

amnibus

amnibus impense delectantur, circaq́ illos uaga-
ri gaudent. Ita quidam cum literas nesciant, tamē
inter eruditos uersari gaudent.

Dracones exugentes sanguinē Elephantorū,
occidunt eos, & ipsi uicissim inebriati, opprimun
tur ac cōmoriuntur. ita sępenumero in bello, pars
utraq́ & permittit & perit, damnū dat & accipit.

Bonasus anīal, quoniā cornibus inutiliter im-
plexis, non potest lædere, fugiens fimū reddit, cu-
ius contactus insequentes, ut ignis aliquis com-
burit. Ita nōnulli quoniā corā non audent cōgre-
di, a tergo sparsis probris, contaminant hoīem.

Sicuti leo citius sęuit in uirum q̄ in fœminam,
pueros non nisi summa fame coactus attingit,
simplicibus ac prostratis parcit. Ita potentes infir-
mioribus debent ignoscere, uires in alioss expe-
dire, quos uincere pulchrum sit.

Vt lasciuia simiarū febrim excutit leoni. Ita ini
mici conuiciū aut contumelia, nōnunq́ excussa
desidia, ueternoq́, ad honesti studiū nos acuit.

Leonis catuli informes nascuntur, uix ingredi-
untur semestres, non mouentur, nisi bimestres. Ita
quæ egregia futura sunt, sero proueniunt, & len-
tis auctibus absoluuntur.

Leo cunctis formidatū animal, cantum ac cri-
stam galli formidat. Ita summi principes infimo-
rum conuitia nōnunq́ timere cogunt.

Iniecto in oculos sago, leo sine ullo negotio
capitur,

capitur, alioqui inexpugnabilis. Ita facillimum est potentissimum etiam domare, modo cognitum sit illius ingenium.

Camelus non gaudet potu, nisi prius obturbata conculcatione aqua. Ita quibusdã nihil placet in literis, nisi barbarie conspurcatum.

Vt Camelopardalis siue nabis, collo refert equũ, pedibus & cruribus bouem, capite camelũ, maculis tigrim, aut pardum. Ita quidã inæquales sibi, uarias hoĩm formas exprimũt. Si cultũ inspicias, sanctũ aliquem existimes. si orationem audias, satrapam loqui putes. si uitã expendas, nebulonem inuenies. si scripta, bubulcum.

Rhinoceros cornu gerit in naribus. Ita quorũdam sales dentati sunt & aculeati.

Catoblepas & Basiliscus solo aspectu necant, maxĩe si ocl'os ĩtueare. ita tyrãni nõnulli solo oculorũ cõiectu, nõnullos ad laqueũ adigũt. Aut formosa mulier & impudica perimit intuitu.

Vt Basiliscus sibilo fugat omnes serpentes. Ita quidam adeo sunt pestilentes, ut alij ad illos collati, boni uideantur, atq; ultro cedant.

Lupis, quos gregarios uocant, etiã in fame surrepit obliuio cibi, si modo respexerint, ac protinus aliũ quærunt. Ita nõnullis mox excidit, quod modo instituerant narrare, si interiectis uerbis aliquot, animum illorum alio deuocaris.

Aspis pestilẽtissimũ malũ, non uagat̃ nisi cum compare,

compare,ea interfectorē pertinacissime persequitur. Ita tyrāni, filiū aut aliū tyrānidis successorem adiungūt, ne desit ultor, si quid acciderit.

Crocodilus patitur Trochilum auiculam carpere escam e faucibus suis, non illius amore, sed sua ipsius causa. Repurgat em̄ rostro suo os illius. Ita tyranni, etiam si quid alicui concedūt, semper ad suum referunt commodum.

Crocodilus terribilis est in fugaces, fugax contra insequentes. Ita quidam si concedas ac metuas, tum ferociunt. Si strenue contemnas & obsistas, statim concedunt.

In aspidis ictu nullum est remedium, nisi ut partes contactæ amputentur. Ita quædam uitia, sola morte sanari possunt.

Ineuitabile malū esset aspis, nisi natura hebetes addidisset oculos. Ita quidā essent pestilentissimi, si prauæ cupiditati accederet & ingenij uis, ut rationē quoq; nocendi possint excogitare.

Dictamum herba, sagittas educit e corpore. hanc cerui monstrauere. Ita philosophiæ ratio, fortunæ iacula eximit animo.

Cerui pastu dictami excutiunt corpore sagittas. A phalangio pcussi, cancrorꝫ esu sibi medent̄. Lacertæ a serpētibus icti, herba quadā se refouēt. Hirundines uexatis pullorum oculis, chelidonia succurrunt. Testudo cunilæ pastu, uires aduersus serpentes reficit. Mustela in muriū uenatu ruta se confirmat.

confirmat. Ciconia origano. Edera apri sibi medent in morbis. Item cancrorũ esu. Anguis fœniculi succo abijcit exuuiũ. Draco uernã nauseam syluestris lactucæ succo restringuit. Pantheræ aduersus aconitũ, hominis excremẽtis sibi medẽtur. Elephas chamæleonte fronde. (Nam similis est animanti color) deuorata. Vrsi cum Mandragoræ mala degustauere, formicas lambunt. Ceruus uenenatis pabulis herba cynaræ resistit, Palumbes, graculæ, merulæ, lauri folio annuũ fastidium purgant. Idem faciunt columbæ, turtures, gallinacei. herba quæ uocatur helixine, anates, anseres, cæteræq; aquaticæ, herba siderite, Grues & similes, iunco palustri. Coruus occiso Chamæleonte, qui etiã uictori nocet, lauro infestum uirus extinguit. Breuiter, nullum est animal quod non intelligat sua remedia. Solus homo nescit unde uel corporis, uel animi remedia petere debeat.

Hyæna uocem humanam imitatur, & nomen alicuius ediscit, quem euocatum lacerat. Ita quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant.

Hyæna sic auida est excrementorũ hominis, ut si uase suspendantur altiusq; ut possit attingere, enecet sese, defatigati porrectu corporis. Ita nonnullis, quod est fœdissimũ, id dulcissimũ est.

Fibri pontici genitalia sibiipsis ampatãt membra in uenatu, quod ob hoc se peti intelligant.

Ita pru-

Ita prudentis est aliquando abijcere rem, ob quam periclitatur.

Cerui cũ arrexere aures acerrimi auditus sunt. cum remisere surdi. Ita principes, si quid est quod placeat, id procul etiam percipiunt. si quid secus, quantumuis clames, non intelligunt.

Cerui cum sua cornua cogant abijcere, tamen occultant ea, præcipue dextrũ, ne medicamẽti uis alij sit usui. Ita diuites nõnulli, cum ipsi diuitijs uti non queant, haud tamẽ sinũt alios frui.

Vti Chamæleon non alio pascitur alimento q̃ aeris, & idcirco ore est semper hiante. Ita quosdam aura popularis alit, neq; quicq̃ captant, præter inanes laudes & gloriam.

Chamæleon qui subinde mutat colorem, omnem imitatur, præter rubrum & candidum. Ita adulator nihil non imitatur in amico, præter ea quæ honesta sunt.

Tarandus omniũ arborum & fruticum, locorumq; in quibus latitat, colorem uillis etiam imitatur. Ita tutior erit, qui ad quamcunq; gentem se contulerit, eius ritus, ac mores imitetur.

Hystrix, nõ iaculat̃ spinas suas nisi cũ ꝓuocat̃, aut urget̃. At scurra in quẽuis sua dicta torquet. Dissimile.

Vrsus informes gignit catulos, eos lambendo format. Ita rudem ingenij fœtum, diutina cura expoliri conuenit.

Vti canis ꝓperans, in enitendo cæcos parit catulos. Ita

tulos. Ita pcipitata opa nõ possunt esse absoluta.

Vt ignaui canes omibus ignotis allatrant. Ita barbari, quicqd nõ intelligũt, carpũt ac damnãt.

Vt muti quidã canes, prius mordẽt q̃ latrant, sunt em̃ & huiusmodi, quos aliquot ipse uidi. Ita quidam prius lædunt q̃ expostulent.

Asinæ per oẽm gignunt uitã, cum homo tam mature desinat parere. Ita facilior ac perpetuus pro-uentus rerum uilium, egregia raro contingunt.

Nullum est animal quod impensius amet suos fœtus quam asinus, & simia. Ita indocti commen-taciunculas pærter alios amplectuntur.

Mulus ex equo & asina conflatus, nec equus est, nec asinus. Ita quidam dum & aulici esse uolũt & ecclesiastici, neutrum sunt.

Dissi-mile. Muli calcitratus, uino crebro inhibetur. Mulie-ris petulantia uino prouocatur.

Simia catulos fere conplexu necat. Ita nõnulli parentes immodico ergo liberos affectu, & in-dulgentia, corrumpunt illos.

Dissi-mile. Vt est regio quæ careat, uenenis ueluti Creta. Ita nõ est respublica aut aula, quæ careat inuidia.

Creta nullum habet uenenum, præter phalan-gium, id est aranei genus. Ita non est monasteriũ tam sanctum, quod immune sit ab obtrectationis & inuidentiæ malo.

Angues in Syria erga indigenas uenenũ non habet, nec eos petunt, exteros cum cruciatu exani-

mant. Ita

mant. Ita insulares in suos satis humani, in alieni-
genas immitissimi sunt.

Indicæ testudines, meridiano tempore blandi-
ente, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare,
donec oblitis sui, solis uapore siccetur cortex, ut
mergi nequeant. Iamq; inuitæ natent, opportune
uenantium prædæ. Ita quidem spe magnarum re
rum allecti, in principum aulas sese conijciunt, &
adeo deliniunt aulæ delitijs, donec imprudentes
eo redigantur, ut non possint, etiam si uelint, in su
um otium sese recipere.

Mugiles si caput condiderint, putāt se totos oc
cultari. Ita quidā si sua uitia dissimularint, ipsi pu-
tant ab alijs nō animaduerti, qui mos idem & pu
eris est.

Alutarium piscem semper sequitur alius piscis
nomine sargus, qui illo cœnum fodiente excitatū
deuorat pabulum. Ita sunt qui se misceant alienis
negotijs, ut eis laborātibus, fructū ipsi præripiāt.

Scombri in aquis sulphureū habent colorem,
extra aquas similem cæteris. Ita diuites in suo re-
gno dijs pares, & cęteris longe præstātiores uiden
tur. In morte nihil ab alijs differunt.

Vt echineis licet exiguus piscis, nauem uelis ci
tatam remoratur. Ita animum ad honesta prope-
rantem, puellula quæpiam nonnunq; reuocet ac
retardat affixa.

Sicuti Polypus quicquid brachijs attigerit, su-

 ctu tenet

ctu tenet & attrahit. Ita difficillimum est euellere de manibus quorundam, si quid nacti fuerint.

Polypus stupidum alioquin animal, in captandis conchis incredibili utitur solertia. Ita quidam ad solũ quæstũ suũ sapiũt, alibi pecudes meræ.

Vti sępenumero Polypus dũ conchæ carnem captat, ipse capitur ac tenetur. Ita sæpius dũ aliis nocere studem⁹, nosipos in periculũ adducimus.

Vt echinus semp in spinis ingredit̃, q̊d spinas secũ circũferat. Ita qbusdã in omni negotio acerbitas est, ꝑpterea q̊d anĩo secũ adferant asperitatẽ, etiam si res ipsa nihil habeat incommodi.

Vt cancri in metu utroq; uersum pari celeritate ingrediuntur. Ita cum res exigit, uertendi sunt in diuersum mores.

Minimi cancri, quos pinnoteras uocant, quo tutiores sint. inaniũ concharum testis se condunt. Et cum accreuerint, migrant in capaciores. Ita quidam maiorum suorum titulis tuentur sese, cũ suis diffidant uirtutibus.

Vt uniones tametsi in mari nascuntur, tñ plus habent cognationis cum cœlo, cuius faciem reddũt. Ita pius ac generosus anĩus, magis a cœlo pẽdet, unde ducit originẽ, q̃ a terra, ĩ qua uiuit.

Rhombus & squatina, Rhaia, & pastinaca cũ tardissimi sint pisciũ, tamẽ sæpe reperiunt̃ habẽtes in uentre mugilem omnium uelocissimũ, solertia, & ingenio capientes. Ita quidam arte superãt longe

longe potentiores opibus, aut uiribus.

Trochus piſcis ipſe ſe init, & ex ſeſe cõcipit. Ita quidã ingenij fœlicitate ipſi literarũ ſemina infundunt ſibi, quos αὐτοδιδάκτους uocant græci.

Struchiocamelus, auiũ maxima, ſed ſtolidiſſima. nam ubi collum occultarit frutice, latere ſeſe exiſtimat. Ita quidam ingenti mole corporis onuſti, minimum habent ingenij.

Vt Phœnix nunq̃ eſt niſi unica, & ea uix credita cuiq̃. Ita rerũ optimarũ ſumma raritas eſt.

Aquila auium rapaciſſima, non oppetit morbo, neq; ſenio, ſed fame. Ita auarus quo magis accedit ætas, hoc magis cruciatur habendi ſtudio & minus poteſt uti partis.

Aquilarum pennæ quoq; aliarum auium pennis admixtæ, eas deuorant. Ita tyrannis penitus inſita uis eſt, ſpoliandæ plebis, ut mortui quoq; aliquid auferant.

Vultures triduo futura cadauera præſentiunt, eoq; aduolant. Ita quidam captatores, multis etiam annis morti diuitum imminent.

Vultures ipſi nihil occidũt, ſed ab alijs occiſa inuadũt. Ita nõnulli alienis fruunť ſudoribus.

Cybindus auis bellum internecinũ gerit cum aquila, adeo ut coherentes ſæpenumero prendantur. Ita fit aliquoties, ut dum mutuũ in ſe odium pertinaciter exercent principes, utriq; ſubuertantur tertio quopiam inuadente.

Coccyx oua ſubdit in nidis alienis. Ita quidam alienas uxores faciunt matres.

Coccycis pullus ubi adoleuerit, cũ ſit nothus, tamen legitimos deuorat, unaq; matrem ipſam. Ita quidam magna indulgentia, ſtultoq; amore quorundam educati, ſubuertunt eos.

Pauo nõ explicat pẽnas, niſi laudatas. Ita quidã putãt ſe nõ habere q̊d habẽt, niſi ſint qui mirenť.

Galli ſæpius in pugna commoriuntur. Ita qui-dam mutuis diſſidijs, conſiciunt ſeſe.

Gallus uictor ilico cantu ſuperiorem ſeſe teſta-tur. Ita quidam ſua facinora iactant ipſi, & ſuarũ laudum ridiculi ſunt tibicines.

Vti ciconias nemo aduenire ſentit, ſed adue-niſſe, nemo diſcedere, ſed diſceſſiſſe, quod noctu clanculumq; faciant utrunq;. Ita iuuentutem ne-mo intelligit diſcedere, ſed diſceſſiſſe, & ſenectu-tem non ſentimus aduenire, ſed aduenifſe.

Apud Theſſalos capitale eſt occidere ciconiã, non ob aliud, niſi quod ſerpentes interficit. Parci-tur & apud Britannos miluijs, quod urbem ra-ptis extis pecudum, repurgẽt. Ita quibuſdam ho-nos habendus, non quod ipſi digni ſint, ſed quod illorum opera nobis ſit uſui.

Ciconia tametſi demigrat, tamen reuerſa ſem-per eoſdem repetit nidos. Ita non oportet amicos ob intermiſſam uitæ conſuetudinẽ obliuiſci, ſed memoriã illorum ſemper nobiſcũ circũferre.

Ciconiæ quoties in campum, quem Pythonis comē uocāt, (is est locus in Asia) quæ ultima oīm aduenerit, eam lacerant, atq; ita discedunt, in una oīm cessatiōe castigata. Ita multitudinis uitia, unius insigni supplicio sunt uel sanāda uel arcēda.

Coturnici ueneni semen gratissimus est cibus. Ita quidam maledicentia, & uirulentis dictis, impendio delectantur.

Vt hirundines sub hoīm tectis nidulant̄, & tñ non assuescunt, nec fidunt homini. Ita quidā amicos semꝑ habent suspectos, ꝑsertim Insulares.

Hirundo æstate aduolat, instante hyeme deuolat. Ita insidus amicus rebus lætis præsto est, commutata fortuna, deserit amicum.

Seleucides aues nunq; conspiciuntur a Casini montis incolis, nisi cum illarū præsidio est opus, aduersus locustas uastantes fruges. Nec unde ueniant, quoue abeant cognitū. Ita quidam nunq; apparent, nisi cū nostro egent auxilio. Nec uisunt amicos, nisi cum urget necessitas aliqua.

Luscinijs tantū est canendi studium, ut certantes emoriantur, spiritu citius deficiente q; cantu. Ita nonnulli literarum immodico amore, ualetudinem extinguunt. Et dum a nullo uinci uolunt eruditione, pereunt in ipso conatu.

Vt Alcyones etiam media hyeme mare tranquillum præstant, non sibi solum, sed alijs quoq;. Ita sapiens turbatissimis rebus non solum ipse

tuebitur animi tranquillitatatem, sed alios con-
citatos componet ac sedabit.

Vt Alcyones uidere rarissimū est, sed quoties apparent trāquillitatē uel faciunt, uel denunciāt. Ita Abbates & Episcopi raro deberent prodire in principum aulas, sed rerū motus & bellorum tempestates, authoritate sua composituri.

Columbis in uolatu pernicitas, sed dum plaudit in aere sibi placens, implicatis strepitu pennis, capitur ab insidiante alicubi Accipitre. Ita multi dum ostentant suas uires magis quam utuntur, obliti sui, præda fiunt inimicis.

Apodes auiculæ, aut pēdent uolatu, aut iacēt, propterea quod pedibus careāt. Ita quidā in utrāque partem nimis uehemētes, aut nimiū tumultuātur negotijs, aut toti torpent otio, nil medium est.

Taurus auis cum sit pusilla, tamē boum uocē imitatur. Ita nonnulli cum re sint exigui, tamen loquūtur reges ac satrapas.

Arrodunt hoīs cibū mures, uiuūt sub eodem tecto, nec tamen assuescunt homini. Ita quidam amici parum synceri, nec relinquunt cibi commodique causa, nec amant tantū, aut fidunt.

Sicuti picis mirū est studium imitandi uerba hoīs, adeo ut in conatu nōnunquam emoriantur. Ita nōnullis dulce ediscere preculas & psalmos, eosque subinde sonare, cum non intelligant.

Vt oua plena sidunt, inania fluitant. Ita qui

ueris uir-

ueris uirtutibus aut literis est præditus, minus ostentat se quam qui secus.

Si fœmina inter aues saliat fœminã, nascuntur quidẽ oua, sed ex quibus nihil nascatur. Ita consiliũ quod animo conceperis, non accedente ratione, friuolũ est, & inutile. Oua sic nata Hyponemia, hoc est subuentanea uocant. Dicuntur & Zephyria, quæ uẽto cõcipiuntur. Sic euanidũ est, qcquid imaginatione, nõ certo iudicio instituit.

Serius eduntur quæ diutius uictura sunt. Ita diu premendum opus, quod semper legi uelis.

Quo maius est animal, hoc minus est fœcundũ, minuta numerosi fœtus sunt adeo, ut Acanthis minima auicula, duodenos pariat pullos. Ita quæ minus ualent pondere, numero sunt pensanda.

Salamandra non nisi magnis imbribus prouenit, serenitate deficit. Ita quidã non apparent, nisi statu ciuitatis, bello aut seditione turbato. Iidẽ rebus pace compositis, emoriuntur.

Salamandræ tantus est rigor, ut ignem contactũ non aliter q̃ glacies extinguat. Ita quidam citius hominem ad torporem adduxerint, q̃ ipsi ad honesta inflammentur.

Vt talpæ quod parum aut nihil cernant, liquidius audiũt. Ita natura paria facit, dũ quibus corporis formã negauit, his animi uigorẽ confert.

Vt culices ad dulcia nõ aduolant, sed acria petũt. Ita quidã maledicis & infestiuis sermonibus, uehemẽtius delectant.

Non oēm escam oēs amant pisces, sed alius alia delectatur, unde piscatores gnari quā quisqꝫ maxime appetit, fallunt ea potissimū obiecta. Ita adulator deprehenso hois ingenio, quibus rebus deliniat̃, a quibus abhorreat, quod illi gratissimū esse intellexerit, hoc potissimū eum captat.

Sicuti capreæ, & coturnices uenenis saginant̃. Ita quidā alunt̃ maledictis & obtrectationibus.

Vt inter animantiū genera occulta quędā sunt dissidia, cū nulla appareat dissidij ratio, uelut araneæ & serpenti, formicis ac soricibus, Trochilo & Aquilæ, alijsqꝫ cōpluribus. Ita sunt qui illā aut illam oderint gentem, cum nesciant quamobrem oderint. Quidam odere rhetoricen, aut græcas literas, cū hoc ipsum ignorent, quod oderūt.

Vt in culice nō minus admiranda naturæ uis est, q̃ in Elephante. Ita sapiens in maximis pariter ac minimis negotijs, magnum uirum ostendit. Aut ingenij uis etiam in ludicro, atqꝫ humili argumento elucet.

Apis cum minimum sit insectum, tamen admirabile facit opus, & mira ratione politiam moderatur. Ita in pusillis corporibus, summa nonnunqꝫ ingenij uis.

Apes exteriora tectoria faciūt ex succis amarioribus, q̄d dulcissimū est, in ītimis recondūt. Ita theologia insipidis quibusdā allegoriarū corticibus obtegit sapientiā, quo prophanos arceat.

Vt apes

Vt apes nõ quiduis ex oĩbus colligunt, ſed ali-
unde Metyn, aliunde Piſſoceron, aliunde Propo-
lin, aliũde Erythacen, aliũde ſobolẽ, aliunde mel.
Ita non oĩa petenda ex eodẽ authore, ſed ex uno-
quoq; ſumẽdum, q̊d habet utiliſſimũ. Ex poetis
& oratoribus, uerborum ſplendor. E dialecticis,
argutia diſſerendi. Ex philoſophis cognitio na-
turæ. Ex theologia, præcepta uiuendi.

Cum ad omnia aduolent apes, tamẽ nullis no
cent floribus. Ita uirtus & literæ ſic ab alijs ſumũ-
tur, ut nihilo deterior ſit, is qui cõmunicauit.

A floribus marcidis apes abſtinẽt. Ita nõ attin-
gendus liber, q putidas habet ſnĩas. Aut nihil at-
tingẽdum, q̊d non ſit elegans, & ſucculentũ.

Apes fucis ad opus & fœtũ calore cõſouendũ
utuntur, vbi cœperint mella matureſcere, tum ex
pellũt ac trucidãt. Ita ab inimicis quoq; ſumendũ,
ſi quo pacto per occaſionẽ prodeſſe poſſint.

Si fuco alas ademeris, & in alueum reijcias, ijs
cæteris item fucis alas adimit. Ita qui in mona-
chorum tracti naſſam ſemel amiſerint uitæ liber-
tatem, alios quoq; quos poſſunt, pertrahunt, ne
melior ſit aliorum conditio.

Apes peragunt opus ſuum non ſtatis diebus,
ſed quoties cœli cõmoditas inuitat. Ita ſuo quoq;
tempore rapienda eſt occaſio.

Rex apum ſolus aculeum non habet, aut certe
non utitur. Ad hæc grandior eſt corpore, & ſpe-

 cie decen-

cie decentior, sed alis quam cæteræ minoribus. Ita principem oportet esse clementissimum, & a sua ciuitate nusquam auolare longius.

Rex ipse quidem non operatur, sed obambulans, ac circumuolans alios uelut exhortatur. Ita princeps non opera, sed consilio & iussu prodesse debet suis.

Vt fuci cũ ipsi non mellificent, tñ illarũ insidiantur laboribus. Ita sunt qui nihil ipsi excudant, sed aliorũ uigilijs elaborata, furto sibi uendicãt.

Vt apis amisso aculeo iam nec nocere potest exarmata, nec prodesse ad mellificiũ. Ita mortales qui nocere norunt, ijdem norunt prodesse.

Cum maxĩe feruent apũ inter se prælia, tum iactu pulueris, aut fumo, tota res componit. Ita grauissimi rerũ motus inter principes, affinitate aut simili re quapiam nugacissima finiuntur.

Ter nouenis crabronũ ictibus interfici hoĩem existimãt. Ita offensa tametsi per se non capitalis, tamẽ sæpius iterata capitalẽ parit inimicitiã.

Damnatᷣ bombicina uestis seu multitiũ, qđ pellucens nõ tegat corpus, cũ in hunc usum sit repta uestis. Ita ridenda facundia, q̃ rem nõ explicat, sed inuoluit, cũ in hoc repertus sit homini sermo.

Vt aranearum telas corui perrumpũt, muscæ implicantur. Ita leges plebeculam uexant, a potentibus uiolantur impune.

Scorpius uenenum in cauda gerit & oblique ferit. Ita

ferit. Ita quidam in fine uirus effundunt suum, & dissimulanter lædunt.

Muta cicada ꝓ miraculo est, q̊d ipum genus sit garrulũ, sunt aũt hmõi in agro Rhegino. Sic magis admiramur constantiã & silentiũ in fœmina, quod ipsum genus mutabile sit, & loquax.

Muscæ & alia nõnulla insecta suctu uiuũt, ideo ꝙ eis pro lingua est fistula. Ita quosdã uideas bibones, qui potu uiuant, a cibo abhorreant.

Vt lampyrides non sunt conspicuæ, nisi noctu aut in obscuro. Ita quidam non sunt illustres, nisi inter humiles & idiotas, obscurantur autem inter egregios.

Industrium animal formica, sed non laborat, nisi sibi. Ita nõnulli mortales sibi dumtaxat, consulunt, & suũ modo negotium agunt.

Vt Indicæ formicæ aurũ e cauernis erutũ seruant tantũ non fruunt̃. Ita diues auarus nec fruit̃ ipse suis opibus, & aliꞇs inuidet illarũ usum.

Hirudo est q̊ddã pediculi genus, cui nõ est exitus cibi, ꝙ insatiabile sit, suctu sanguinis intumescens rũpit̃ deniꝗ. Sic auarus copia sua ꝑfocat̃.

Vti pyraulis ultro aduolãs lucernis, adustis alis collabit̃ ac perit. Sic qdã ipsi sibi accersũt ꝑniciẽ.

Vt cochleæ lente ingrediuntur, nec quicꝗ attingunt, aut usꝗ sese mouent, nisi cornibus prætentarint. Ita sapientem oportet esse contabundum, minimeꝗ præcipitem, & pedetentim aggredi gustu

gredi gustu quodam prius sumpto.

Quemadmodũ apud Myconios non est indecorũ caluitiũ, quod illic oẽs calui nascant. Ita apud Italos (ut hos exẽpli causa noĩem) non est turpe pecuniæ studiũ, quo nemo nõ teneť apud illos.

Sunt qui propius admota non cernunt, quæ longius absunt, uident. Ita nonnulli plus sapiunt in rebus alienis, q̃ in his quæ ad se pertinent.

Quibus maiora sunt corda, timidissima sunt maxĩeq; bruta. Nam asino maximũ est, & in Paphlagonia perdicibus bina sunt corda, cũ animi sit conceptaculũ & fons. Ita quidã quo magis abundant insignibus, hoc minus hñt rei, ueluti si doctor indoctus latissimo utať pilleo aut epomide.

Animantia quibus longa sunt crura, ijsdem longum sit collum oportet. Ita qui magno strepitu student uiuere, longius rapiant necesse est, unde suppetat sumptus.

Chamæleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus. Ita quidam præter ostentatiõem & uentosam iactantiam, nihil habent.

Simia cum imitetur hominem, tamen animal est omnium deformissimum. Ita si quis affectet, quod optimum est, nisi fœliciter affectet, incidit in id quod est pessimum.

Vt a uitijs corporis quidã inuenere cognomẽ, uelut a distortis cruribus uari, a tumidis labris chilones, naso prægrandi Nasones. Sic nõnulli ma-

lefactis

lefactis sibi famam pariunt, ac nobilitantur.

Infantes qui celerius loquuntur, tardius ingredi incipiunt. Ita qui ad dicendum promptior est, ad rem gerendam minus est paratus.

E uoce agnoscimus hominem facie non conspecta, nam sua cuique uox. Ita ex oratione licet hominis uitam coniectare.

Vultures unguentorum odore fugantur, ad cadauera aduolant. Ita quidam a rebus honestis abhorrent, ad fœda rapiuntur.

Sicut unguentis & uinis. Ita & libris pretium addit antiquitas.

Ex maioribus cedris quæ florent, non ferunt fructum, quæ fructiferæ sunt, non florent. Ita nonnunquam quibus adest dicendi lepos, non adest sapientia. quibus suppetit rerum utilium cognitio, deest eloquii uenustas.

Vt palmæ arboris ramus imposito onere non deflectitur in terrā cæterarū more, sed renititur, & ultro aduersus sarcinæ pondus erigit sese. Ita uiri fortis animus, quo plus negotiis premitur, quoque magis sæuit fortuna, hoc est erectior.

In Campania uites populos amplexæ, ipsa æquabant cacumina, adeo ut uindemiator, rogum ac tumulū exciperet. Ita qui in arduis uersantur negotiis, periculi meminisse debent.

Quemadmodū uitis, tametsi arbor omnium nobilissima, tamē arundinū, aut uallorum, aut arborum in

borum infrugiferarum eget ſuſtentaculis. Ita po-
tentes & eruditi, inferiorum egent opera.

Vt uallus aliquoties frondibus ſuis uitem am-
plexã ſtrangulat. Ita nõnunq̃ adminiculi grã obi-
ter aſciti ſubuertũt & opprimũt potentiorẽ.

Vt uitis niſi amputes late ſeſe ſpargit, brachijs
ſuis oĩa complectens, & implicans. Ita princeps
ambitioſus ſemper aliquid e proximis ſuo adiun
git imperio, niſi ſubinde uindicetur.

Sicut Aminça uina ſenio fiunt meliora. Ita qui
dam iuuenta ſolutiores aut aſperiores, ætate &
uſu rerum fiunt mitiores.

Contra Apiana uina & alia quædam initio
dulcia, auſteritatem accipiunt ab annis. Ita qui-
dam ætate fiunt inhumaniores.

Sicuti Maroneum uinũ, cuius meminit Home
rus, uicies tanto aquæ mixtũ, tamẽ uigorem ſuũ
ſeruat. Ita ſapiens nullis ſoluit̃ uoluptatibus.

Vt uino nõ eſt aliud corporis uiribus utilius,
ſi recte utaris, nec eodẽ eſt quicq̃ pernitioſius, ſi
modꝰ abſit. Ita philoſophia ſalutaris eſt res, ſi mo-
dice adhibeas. Peſtilentiſſima, ſi eius ſtudio temu-
lentus a cõmunis uitæ munijs reddaris alienus.

Sicuti uina languidiora uappeſcunt ætate. Ita
deſipiſcunt ingenia vulgaria, eximia etiam ad
extremam durant ætatem.

Vina non modo ſoli ſui referunt ſaporem, ue-
rumetiã arborum aut fruticũ uicinorum. Ita non
ſolum ex

ſolũ exprimimus eos, unde progeniti ſumus, ſed & eorum quorũ conſuetudine ſumus uſi.

Sicuti mutaticia uina, quę frugibus conficiunt apud quoſdam, hoc aſſequunt uini uim, quod inebriant, non tñ perinde reficiũt cordis uigorẽ. Ita quidã quod in poetis eſt uitij, id aſſequunt, nempe obſcœnitatẽ, cæterum eloquentiã, uenuſtatem, eruditionem, non poſſunt exprimere.

Oliua ſero ꝓuenit, ſed fructũ habet egręgiũ. Salix ſtatim adoleſcit, ſed ſteril' eſt. Ita p̃cox ingeniũ.

Negant ullum animal uenenatum fame aut ſiti emori. Ita peſtilentes homines domi habent, unde ſe paſcant, & ſuo aluntur ueneno.

Perſica ob id ipſum pluris ueniebant, quod non durarent, niſi in triduũ. Ita auidius rapiendũ quod cito præteruolat, ut iuuenta.

Caprifici ficus nunq̃ matureſcit, ſed tñ gignit uermiculos, qui deuolantes ad ueram ficum, perfoſſo ficorũ cortice maturitatem illis tribuant. Ita ſunt qui ipſi nihil queant egregiũ facere, ſed tamẽ aliquo pacto ſtimulant alios, ut id faciant.

Vt aquæ laus eſt, ſi nihil ſapiat. Nam uitioſę ſignũ eſt ſapor aut ſuccus. Ita a cæteris quidẽ requirimus eloquentiã. Theologus hoc ipſo laudatur, quod infans eſt, & a muſis alienus.

Fere non conuenit odori & ſapori, ut ficis quibus nihil dulcius, nullus eſt odor. Et cotoneis plurimum odoris, ſapor autem aſperrimus. Ita

uix in co-

uix in eodem inuenias homine, blandiloquen-
tiam & beneficentiam ac fidem.

Vt laurus tota uiret perpetuo. Ita doctrinę fa-
ma non senescit, necp marcescit. Lauri baccę a-
marę quidem sunt, sed saluti conferūt. Ita phię p̄-
cepta salutaria magis q̄ blāda sunt aut iucunda.

Vina uasis infusa e taxo factis, mortifera sunt.
Ita salutaris alioquin eruditio, si inciderit in ho-
minē pestilentē, moribus illius redditur noxia.

Fraxinū campestrē in tantū horrent serpētes, ut
nec matutinas, nec uespertinas illius umbras, q̄uis
longissimas, unq̄ attingant. Et si gyro frondibus
huius arboris claudat̄ ignis, & serpēs, citius in ignē
fugiet, q̄ in fraxinū. Ita nihil conuenit uitijs & stu
dio sapientiæ. Sub cuius umbra quisquis se con-
tinuerit, tutus erit ab huius uitę uenenis.

Tilia cum habeat corticem, ac folia dulcia, ta-
men fructum eius nullum animal attingit. Ita
quorundam oratio blanda, grataq; & composi-
ta, sententiarum nullus fructus.

Vti buxus semper quidem uiret, sed alioqui et
odore noxia, & semen habet omnibus inuisum
animātibus. Ita quidam præter orationis gratiā,
nihil adferunt non fugiendum.

Rhododendri frondes iumentis, capris, & o-
uibus uenenum est. Idem homini contra serpen-
tium uenena remedio. Ita quod stultis perniciem
adfert, ut res aduersæ, aut eruditio, id sapiens

uertit in

uertit in suum bonum.

Vt arborum aliæ gaudent montibus, aliæ uallibus, aliæ siccis locis, alię riguis & aquosis. Ita non omne uitę genus omni homini conuenit. Sunt quæ quouis proueniũt loco. Ita sunt horarũ omniũ homines, accõmodati ad mores omniũ.

Sunt arbores aliquot, quæ post solstitium inuertunt sua folia, ut ulmus, tilia, olea, populus, alba salix. Ita uulgus procerum simul atq; princeps, uitæ genus in diuersum cõmutarit, uertunt & ipsi uultum, cultum, orationem, & omnia.

Sorbo folia uniuersa decidunt, cum cæteris arboribus paulatim id accidat. Ita quidam subito nudantur, aut profundunt, aut genus uitæ cõmutant, cum sensim id fieri oporteat.

Ficus non floret cum fructus habeat dulcissimos. Ita quidã benefaciunt, nihil pollicitantes.

Morus nouissima omnium germinat, & tamẽ parit inter primas. Ita qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiam si serius cœperint, tamen maturius conficiunt.

Vt arbores quędam belle florent, uerum nullum adferunt fructum. Ita quorundam puerorũ indoles magnam uitæ frugem pollicetur, qui simul atq; adoleuerint, ad ineptissimas conuersi uoluptates, fallunt expectationem omnium.

Salix ante maturitatem abijcit semen, unde & Homerus frugiperdam uocat. Ita quædam inge-

m nia præ-

nia præcocia citius prosiliunt ad docendum aut scribendum, q̃ oportet.

Cupressi semina adeo minuta sunt, ut quędam oculis cerni non possint, & tamen in eo tanta est arbor tam procera. Ita est ratio minimum quiddam est & occultum, sed eadem maxima est, si prodeat & uim suam explicet.

Stolonibus amputatis, oĩa celeriꝰ adolescũt in arbore, nimirꝶ alimẽtis in unã collatis stirpem. Ita animus leuatus supuacuis negotijs, plus efficit in studijs honestis, tota mẽtis ui in idẽ intenta.

Vitis nisi subinde amputetur, ipsa sua fœcunditate gracilescit & perit. Ita cohibendum est immoderatum studium fœlicibus ingenijs, ne parũ moderato labore consumantur.

In uite quicquid per amputationem adimitur materiæ, id fructibus additur. Ita qui reciderit curas superuacaneas rerum sordidarum, plus ualebit in rebus serijs & grauibus. Aut quo minus est uerborum, hoc grauiores sententiæ.

Vti in inserendo calamus altius depressus tardius fert, sed durat fortius. Ita præstat rem aggredi, ut firmior sit ac durabilior, potius q̃ ut præsens spectes lucellum.

Arbor per se infrugifera, tamen insitione discit ferre fructus. Ita prauum ingenium institutione ad bonam frugem potest demutari.

Arbor suapte natura nõnisi unicũ fœtũ gignit, insitione

insitione eadem diuersi generis fructibus oneratur. Ita qui naturam suam sequitur, semper idem est. Qui arte ducitur, sui dissimilis est.

Vt noctuæ aues inauspicatæ noctu gementes, (nam hæc illis uox est) mortalium inuidēt quieti. Ita uirulenta lingua, semper aliquid spargit, quo concordiam hominum disturbet.

Vt ager ferax, sed quem oporteat multo impendio colere non, multum iuuat colonum. Sic homo quæstuosus, sed idem sumptuosus, haud multum reponit hæredi profuturum.

Vt in re rustica nō satis est teip̄m bonū esse colonū, sed magni refert cuiusmōi habeas et uicinū. Sic in uita non satis est, si teip̄m integrū uirū præstes, sed refert cū quibus habeas consuetudinē.

Vt in loco pestilenti quoq; qui assueuere, durant. Ita incōmoda parū lædunt assuetos.

Vt loci salubritas incolarum colore deprehenditur. Ita muneris sanctitas eorum arguitur uita, qui in eo uersantur, ueluti qui uersantur in cerimoniis, cum sint nequissimæ uitæ, declarant eas ad pietatem nihil conducere.

Vt nihil minus expedit q̃ agrum optime colere. Ita sæpenumero inutilissimum est, nimis esse in negotio diligentem.

Diligentes agricolæ terram prius notulis quibusdam deprehendunt, & explorant, priusquā illi credant sementem. Ita explorandus amicus,

antequam commotus arcanum.

Vti faba & lupinum non exhaurit, sed sterco-rat agrum, in quo alitur. Ita gratus meliorem reddit fortunam eius, a quo beneficio adiuua-tur, & refert quod accepit.

Fœnum græcum, quo tractatur peius, hoc pro uenit melius. Ita liberi quidam, quanto habueris indulgentius, tanto minus ualent. Neglecti uero & uexati, euadunt in uiros.

Vti salicis semẽ ante maturitatẽ abiectũ non so lum ipm nihil gignit, uerũetiam fœminis sterilita tis est medicamentũ, hoc est efficit, ne cõcipiãt. Ita sermones istorũ, qui prius docent q̃ uere sapiant, non solũ ipsos nõ reddũt meliores, uerũetiam au ditores suos inficiũt, & reddunt indociles.

Nouella uitis copiosiꝰ gignit uinũ, sed uetustior meliꝰ. Ita plura loquũt iuuenes, sed utiliora senes.

Ex arboribus quæ uehementer fœcundæ sunt, eo celerius senescunt. Ita raro sunt uiuaces egre-gio prędití ingenio, & optima quæq; mortalium fugacissima sunt.

Solent arbores protinus emori, si quãdo præ-ter solitũ fœcundæ fuerint. Ita fortuna præter mo-rem blanda ac fauens, exitium imminere sæpe-numero significat.

Est apud Indos herba quędã p̃cipui odoris re-ferta minutis serpẽtibus, quarꝫ ictu ꝓtinus moriẽ-dum sit. Ita hñt principũ quorundã aulæ, q̃d alle-ctet, sed

ctet, sed occultant lætale uenenũ, ni caueas.

Apud eosdem est spina, cuius succus insper- sus oculis, cæcitatem adfert omnibus animanti- bus. Magis autẽ excæcat homines, si quid asper- ges de puluere auri in oculos.

Vt in arboribus robustiores sunt partes Aqui loni oppositæ, q̃ quæ Austrũ, aut Zephyrũ spe- ctent. Ita fortiores ac firmiores sumus in his, in quibus nos duris casibus exercuit fortuna.

Cedrus & Iuniperus, si oleo perungas, nec ti- neas sentiunt, nec cariem. Ita semel imbutus diui- ni spiritus succo animus, nullam huius mundi sentit corruptelam.

Arbores infœcundæ firmiores sunt fœcundis. Ita robustius est corpus, his qui nihil pariunt in li- teris, q̃ qui sese laboribus exhauriunt.

Vt quercus & aliæ quędam arbores sub terra defossæ duriores redduñ, ac durabiliores. Ita qui diu premuñ aduersa fortuna, diutius florent.

Cupresso non innascuntur cerastæ propter a- maritudinem, nec buxo propter duriciem. Ita pestis adulationis fugit sæuera, aç tristia ingenia, mollia captat & fallacia.

Iuglans crepitu prænunciat se frangi, ut fuge- re liceat priusquã fiat ruina. Ita quidam non læ- dunt, nisi prius ostendant se infensos. Alij prius læserunt, q̃ expostulent.

Abies adeo cohæret glutino, ut prius scinda-

 tur qua

tur qua solida est, quam qua glutino ferruminata. Ita post reditũ in gratiam firmior debet esse amicitia, & arctius cohærent, quos copulauit mutuæ beneuolentiæ glutinum, quam quos natura coniunxit.

Hædera complexu necat arbores. Ita fortuna prospera, dum blandit, strangulat & perdit.

Vt quædã terræ mergã (ea est candida medulla) in se continẽt, qua stercorent ac pinguescãt. Ita ingeniũ probum secũ habet, unde fiat melius.

Nihil proiectius excrementis animantium, & tamen in stercorandis agris præcipuum habet usum. Ita nulla res est tam nihili, quæ non aliqua prosit, si noris uti.

Cracca leguminis genus est adeo gratũ columbis, ut ea semel gustata, negent illos postea ab eo loco profugere. Ita qui semel aulæ mel & honorẽ degustarint, nunquam ab aula possunt auelli.

Orobanche ciceri infesta est, & eruo, ut æra tritico, ordeo ferstuca quæ uocat Aegilops, lenti securidaca, atque hæ quidem oẽs cõplexu necant. Ita quorundã amicitia pestilens est magis quam inimicitia.

Aiunt Asiæ & Græciæ balneatores, cum uelint turbã pellere, carbonibus iniicere semẽ æræ, quod id faciat uertigines. Ita philosophi, quoties uolunt a suis libris submouere vulgus indoctũ, mathematicos quosdã numeros, et figuras admiscent, ut ex his oborta uertigine capitis, librũ abiiciant.

Arator nisi incuruus sit præuaricat, ut dicebãt antiqui.

antiqui. Ita miles, nisi impius sit, parum est miles.

Vti boni agricolæ est nosse terrā suam, quā co lit. Ita pręceptor diligens in primis studeat cuiusq; indolem, & ingenium cognoscere. Neq; enim eadem sunt omnibus adhibenda.

Vti nouales licet alternis interquiescant annis, tamen eam cessationem ubertate compensant. Ita relaxatio ingeniorū mediocris facit, ut ad studia reuersi plus efficiamus uigore animi, licet breuiore temporis spatio.

Nilus famem adfert Aegyptijs, si uel parū exundarit, hoc est minus duodecim cubitis. vel plus satis, hoc est ultra octodecim. Ita pariter obstat ad bonam mentem fortuna uel nimium secunda, uel nimium maligna. Hic egestate uexans, illic delitijs auocans ab honesto

Vt heliotropiū, ac lupinū circūagunt cum Sole, & quocūq; se mouerit ille, eodem deflectunt & hæc cacumen. Ita proceres aulici quocunq; regis ingeniū uergit, eo propendent omnes.

Sicuti quasdā arbores fœcunditas & luxuries enecat. Ita q̊sdā perdit īmoderatus rerū successus.

Ager nimium stercoratus aduritur, non stercoratus alget. Ita moderata lectione uegetandum erit ingenium. Nam lectione saginatur animus non aliter, q̄ aruum stercore.

Sicuti utilius est crebro stercorari agrum q̄ multum. Ita plus habet fructus assidua lectio, q̄ auida.

Vt pulegium ipſo brumæ die floret cum mar-
cent om̄ia. Ita rebus peſſime uexatis regnant ma-
li, quorum in pace nullus eſt reſpectus.

Vt cibi potus, cæliq́ꝫ nouitas offendit, etiam ſi
mutes in paria, aut in aliquanto meliora. Ita
præſtat ferre principem, aut magiſtratus priſti-
nos, q̄ꝫ nouos aſciſcere. quod omnis rerum no-
uatio, non careat perturbatione.

Vt hoīem uehemēter ægrotum, uel Lunæ deli-
quium, uel uentus aſperior, uel maris deceſſus, aut
huiuſmodi quopiam leuis rerum cōmutatio tol-
lit e medio. Ita anīos imbecilles & affectibus cor-
ruptos, quæuis offenſa perturbat. Cum qui fir-
mis ſunt animis, iſtiuſmodi non ſentiant.

Vt plus eſt periculi corporibus noſtris uere,
& autumno ob mutationem. Ita nouitas omnis
offendit ac lædit rempublicam.

Vt qui cogunt̄ ſecare, malūt ære ſecare q̄ꝫ ferro
q̄d hoc pacto vulnus ſit ſanabiliꝰ. Ita qui cogitur
obiurgare quēpiam, ita moderabitur oratione, ut
ipſa in ſe nōnihil admiſceat ocultæ medelæ.

Vt ꝑtermonibus & ambuſtis, frigida pariter
atq́ꝫ calida aqua medet̄. Ita quædā errata, diuerſa
ratione tolli poſſunt, ſæueritate & lenitate, ſubdu-
cta benignitate, & addita beneficentia.

Vt ꝑtermones et facit et tollit frigus. Item ignis
ambuſta ſanat. Ita amici obiurgantis oratio, do-
lori quem fecit, eadem medetur.

Sicuti Scor

Sicuti Scorpius, si post ictum admoueatur vulneri, uenenum ad se retrahit. Ita nihil est tam noxium, quin secum adferat remedium sui mali, si quis modo uti nouerit.

Vt celerius inebriant, qui dilutũ bibunt, q̃ qui merũ. Ita citius inficiũt animũ, quæ sobrietatis aliquid hñt admixtũ, q̃ quæ simpliciter obscœna sunt. Nam a uehemẽter obscœnis refugit animus. Contra illa blandiunt aliqua uirtutis specie.

Vt qui uino cęcutiũt, aut alioq laborãt oculis, plures se uidere res credũt cũ unã uideant. Ita qui ob imperitiã uerũ non perspiciũt in authoribus, multas ac uarias inducũt snĩas. Vnde illud apud iuris male consultos, uel dic, toties repetitũ.

Sicuti uinum alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios elingues facit, alios loquaculos, pro corporum habitu. Ita eadem stultitia, & ignorantia ueri quosdam incitat ad studium pecuniæ, quosdam ad uoluptates.

Vt Sol lutũ indurat, cerã liquefacit. Ita eadem oratio ab eodẽ dicta, hunc emolliet ad pœnitudinem erratorũ, hunc irritabit ad contumaciã.

Vt uinũ dilutius magis prouocat uomitum, q̃ uel aqua simplex, uel uinũ merum. Ita intolerabilior est nequicia pietatis simulatione condita, q̃ simplex & aperta malicia.

Vt magis humectat uentrẽ, magisq̃ sitim pellit humor, q sensim ĩfundit, q̃ qui uniuersim haurit.

 Ita magis

Ita magis cohibent a petendo munera paulatim data dispensataq́, q̃ si semel dones uniuersa.

Sicuti laboriosius est inanem iactare manum, q̃ saxo aut plumbo libratam. Ita molestius est in nihili rebus operam sumere, q̃ in arduis uersari negotijs.

Vt qui locis æqualibus ambulant magis defatigantur, q̃ qui in æqualibus. Ita laboriosius est, semper eadem aut similia repetere, q̃ in uarijs uersari negotijs.

Vt citius fatigatur qui q̃ longum sit iter, nescit. Ita minore tedio rem gerit, cui negotij ratio, modusq́ præcognitus sit

Vt morbus ad uicinũ serpit cõtagio, sanitas ad ægrotantẽ, non item. Ita ex consuetudine malorũ, facile boni corrumpuntur, at non contra.

Vt oscitant pmulti, q̊d oscitantẽ conspiciũt. Et micturiãt, quod meientẽ uiderint. Ita quidã nullo certo iudicio ad suscipienda negotia permouent, sed quiduis in alijs imitantur ac referunt.

Vt aromatum, florum, similiumq́ odor gratior sentitur e longinquo q̃ e proximo. (Offendunt enim nonnunq̃ naribus admota, quæ procul delectabant.) Ita sunt quæ si leuiter attingas, placeant. Sin excutias accuratius & propius inspicias, gratiam amittunt. Quod genus sunt poetarum fabulæ, aut gentilium historiæ.

Vt aromata tum uehementius fragrant, cum mouentur,

mouentur, aut teruntur, franguntur ue. Ita uir-tutis fama latius ſpargitur, cum exercetur nego-tijs & rebus aduerſis.

Vt cibi male olentes, non uidentur male olere his qui ederint. Ita ſpurcæ Scotiſtarum & Sophi-ſtarũ literæ cum alios melioribus imbutos literis uehemẽter offendant, ac nauſeam moueant. Eos qui nugas iſtiuſmodi imbiberunt, nihil offendũt immo bellæ uidentur & elegantes.

Vt panthera bene olet, ſed nõ niſi beſtijs, quas ad ſe trahit hominibus non item olet. Ita Scotus bonis ingenijs grauis eſt ſtupidis iſtis & bardis, quouis aromate gratior.

Vt qui hircoſi ſi ſunt, grauius olent cũ ſe un-guentis obleuerint. Ita fœdior eſt nequitiæ fama, ſi eam doctrinæ celebritas reddat magis conſpi-cuam, latiusq́ traducat in hoĩm fabulas.

Vt diameter ſiue dimetiens, ſic ab angulo ad angulum mediam figuram diuidit, ut utrinq́ ſpa-cium relinquat æquale. Ita iudex in neutram par tem debet eſſe propenſior.

Vti Sol, quo magis in alto eſt, hoc minores ia-cit umbras. quo terræ propinquior, hoc maiores, puta mane ac ueſperi. Ita uirtus quo maior eſt & excelſior, hoc minus uideri cupit, minusq́ ſeſe oſtentat. Contra qui minus ipſa re ualent, magis ſeſe dilatant oſtentatione.

Vt maiore cum uoluptate cantionẽ audimus

notam q́

notam q̄ ignotam, etiam si melior sit. Ita ĳs literis impensius uulgus delectatur, quas didicit.

Vt in diapason tantus est concentus, ut uox ea dem esse uideat̃. Ita ueri amici unus sunt animus. Aut sic adulator per omnia subseruit ad oratio- nē diuitis, ut unū loquentē dicas non duos.

Vt suauius est Antiphonū, q̄ si uox omnino sit eadē. Sic iucūdior amicus. Ita cōcors, ut tamē non nihil dissideat, q̄ adulator p̱ oīa obseruiens.

Vt uasa paria quorum alterum plenum sit, al- terum inane, pulsata concentū faciūt διαπασῶν. Ita bene conuenit inter diuitem benignū & pau- perem indigum.

Vt quæ præclara sunt uix multo cultu proue- niūt, contra cepe, allium, & quædam huiusmodi uilia, etiam reposita aut suspensa proferūt sese. Ita quæ sunt egregia, non nisi multo contingunt la- bore, quæ mala, passim obuia sunt.

Sicuti uulgo dicunt aquilonem noctu exortū, nunq̄ ad tertium durare diem. Ita rerum motus qui nō ex altis initĳs, sed facili causa subitaq; pro- ficiscunt̃, facile sedant̃ & cōquiescūt in republica.

Vt uenti desituri uehementissime spirare solēt. Ita mortales cum maxime efferunt sese, ueluti Iuli- us pontifex, tum proximi exitio solent esse.

Sicuti Aquilo initio uehemens desinit lenior. Contra Auster initio lenior desinit uehementior. Ita qui p̄cipites magno impetu rem aggrediunt̃,

frigescunt

frigeſcunt in progreſſu. Contra qui conſilio ſuſcẽ pit, magis ac magis accenditur operis progreſſu.

Vt qui acrius cupiunt perſpicere, alterum oc-cludunt oculum. Ita iudex rectius intelliget iuſtũ, ſi nullius perſonæ reſpectu deuocetur.

Sicuti luſcioſi non cernũt, niſi proxime admo-ta. Cõtra ſenes non niſi longiuſcule diſſita. Ita qui-dam diuerſo laborant morbo. Nam hic negligit amicorum res, neq; curat niſi quod proprie ad ſu um pertinet negotium. Contra alij ſuarum rerum negligentes, in alienis tantum ſapiunt.

Vt eodem halitu, ſed alter emiſſo, calfacimus ac refrigeramus. Ita eadem oratio aliter pronun-ciata, mouebit affectus aut frigebit.

Sicuti uehementius titillat tactus, & iucundius mouet frictus alienus, q̃ noſter. Ita iucundius eſt laudari ab his qui nobis nulla cognatione aut fa-miliaritate coniuncti ſunt.

Non ut ex ſapientiſſimis parentibus, ſtultiſſimi plerumq; naſcuntur filij. Ita a doctis præceptori-bus indocti diſcipuli. A probis educatoribus a lumni improbi. Nam illic corporum eſt propa-gatio, hic animorum.

Diſſi-mile.

Quod oleum eſt muſcis, formicis, fereq; reli-quis inſectis, id eſt adulatio ſtultis principibus. Si quidem oleo peruncta moriuntur illa, hi aſſenta-tione & obſequio palponum in exitium trahun-tur ipſi, & trahunt rempublicam.

Vti Sol hoĩem

Vti Sol hominem tingit nigrore, cum linũ cã-
defaciat. Ita factum idem huic in famiam concili-
abit, illi gloriam & laudem pariet.

Sicuti qui morbo laborant regio, ĳs mel cæte-
ris dulcissimũ, amarum est. Sic sapienciæ præce-
pta pĳs iucunda, tristia sunt ĳs, qui prauis affecti
bus corrupti sunt.

Finis Argentorati, ex Aedibus Schure-
rianis, Mense Februario. Anno.
a Christi natalitio. M.D.XXI

Regnante Imperatore Carolo, Anno
Primo sui regni.

FAMILIA-
RIVM COLLOQVIORVM

formulæ, per D. Erasmum Rote=
rod. non tantum ad linguam
puerilē expoliendā uti=
les, uerumetiā ad ui=
tam instituen
dam.

Erasmus

D. ERASMVS ROTE. IO.
ERASMIO FROBE-
NIO. S. D.

GRATVLARER tibi raram istam felicitatem Erasmi suauissime, cui cõtigerit, in officina paterna, uelut in optimorum autorum ubere quodã fonte nasci, tum, inter tot trium linguarum scientia præstãtes uiros educari, nisi magis cõueniret isti ætati bene ominari, quã gratulari. Neq; uero uulgarem sustines expectationẽ, ut amantissimo patri, cui uere es quod diceris ἐράσμιος, cuiusq; spes omnis in te uno sita est, ut Beato Rhenano mihiq; respõdeas, qui tuo nomine fideiussimus in baptismo, ut Guolphango Capitoni, quo fideiussore confirmationis sacramentũ accepisti. A nobis curatũ est, ut prima linguæ tuæ balbuties Latinis, Græcisq; literis formaretur. Libellus hic nonnihil conducet & ad pietatis elemẽta percipienda. Quo nomine debebit tibi chorus innumerabilis æqualium, quod hæc utilitas per te ad ipsos peruenerit. Visum est enim nobis tua causa, dies aliquot repuerascere, dum stilum ac sententias ad tuam ætatulam attemperamus. Iesus te seruet semper ad meliora proficientem. Bene uale. Basileæ prid. Cal. Martias. Anno M. D. XXII.

FAMILIARIA COLLOQVIA IN PRIMO CONGRESSV.

NON TEMERE DOcet quidã, ut salutemus libẽter. Comis enim & blanda salutatio sæpe cõciliat amicitiã, inimicitiam diluit, certe mutuam beneuolentiam alit, augetq́;. Quidam usq; adeo Demeæ sunt, ingenioq́; agresti, ut uix salutati resalutent. Nonnullis hoc uicij conciliauit educatio uerius, quàm natura. Vrbanitatis est salutare obuios, eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tußientes. In ructu crepitúue uentris salutare, hominis est plus satis urbani. Sed inciuilius etiã eum salutare, qui reddit urinam, aut aluum exonerat. Salue pater, salue matercula, salue mi frater. Salue præceptor obseruande. Salue multum mi patrue, Salue dulcißime nepos. Vrbanum est addere cognationis, aut affinitatis titulum, nisi cum habent aliquid odij. Tum enim præstat abuti minus quidem proprijs, sed plausibilioribus. Veluti cum nouercam salutamus matrem, priuignum filium, ui-

tricum patrẽ, sororis maritũ fratrem, fratris uxorem sororẽ. Idem in ætatis aut officiorũ titulis faciendũ. Gratius enim fuerit, si senem patrem, aut uirum eximium salutes, quàm ætatis cognomine. Salue præfecte, salue tribune. Nõ autem salue caligarie aut calcearie. Salue adolescens, Salue iuuenis. Senes ignotos adolescentes filiorum cognomento salutant, adolescentes uicißim illos patres aut dominos.

BLANDIOR SALVTATIO. INTER AMANTES.

Salue { mea Corneliola. / mea uita. / mea lux. / meum delicium. / meum suauium. / mel merum. / mea uoluptas unica. / meum corculum. / mea spes. / meum solatium. / meum decus. }

HONORIS GRATIA AVT SECVS.

Salue here. O he salue tu quoq; bone uir.

Salue uir ornatißime, clarißime.

Salue etiam atq; etiam literarum decus.

Salue plu

Salue plurimũ amicorũ optime. Salue mi Mœcenas.
Salue patrone ſingularis. Salue uir ſpectatiſsime.
Salue literarum decus. Salue Germaniæ deliciũ.
Saluete quotquot eſtis una ſalute omnes.
Saluete pariter omnes. Saluete belli homunculi.
Salue cõgerro lepidiſsime. Salue uini pernicies.
R. Salue & tu gurges helluóq; placentarum.
Salue multum uirtutis omnis antiſtes.
R. Salue tantũdem totius probitatis exemplar.
Salue anicula annos nata quindecim.
R. Salue puella annorũ octoginta. Bene ſit tibi cum tuo caluicio. R. Bene tibi cum lacero naſo.
Vt ſalutaris, ita reſalutaberis. Si male dixeris, peius audies. Salue iterum atque iterum.
R. Et tu ſalue perpetuum. Salue plus milies.
R. Equidẽ malim ſaluere ſemel. Salue quãtũ uis.
R. Et tu quantum mereris. Saluere te iubeo.
R. Quid ſi nolim? Equidem ægrotare malim, quàm tua ſalute ſaluere.

Salua ſit tua { Sanctitas. / Amplitudo. / Celſitudo / Maieſtas. / Beatitudo. / Sublimitas. } magis uulgo recepta ſunt, quã probata doctis.

IN TERTIA PERSONA.

Sapidus Erasmo suo salutem dicit.

Sapidus Beatum suum plurima salute impartit.

ALIA FORMA.

Saluus sis Crito. Bene sit tibi uir optime. R. Et tibi melius. Pax tibi frater. Christiana salutatio est à Iudæis profecta, neq; tamē repudiāda. Similis est, Bona uita. Aue præceptor. R. Equidem malim habere, quàm auere. χαῖρε R. Memento te Basileæ esse, non Athenis.

BENE PRECANDI FORMVLAE.

Et bene precari salutationis genus est.

GRAVIDAE.

Faxit deus, ut feliciter parias. Vt maritum pulchra prole facias parentem. Faxit illa uirgo mater, ut feliciter fias mater. Precor ut hic tumor uteri, feliciter subsidat. Velint superi, ut nō maiore molestia elabatur, quàm illapsum est, quicquid est hoc oneris quod gestas. Donet tibi deus felix puerperium.

CONVIVIS.

Sit felix cōuiuiū. Bene sit uniuerso cœtui. Precor omnia læta uobis omnibus. Deus bene fortunet uestrum cōuiuiū.

STERNVTANTI.

Sit faustum ac felix. Seruet te deus. Sit salutiferum. Bene uertat deus.

QVIORVM FORMVLAE.

AVSPICANTI QVIPPIAM.

Sit felix & faustũ reipu. Bono sit omnibus, quod instituis. Bene uertat quod agis. Bene fortunet deus tuos labores. Faueãt superi tuis conatibus. Quæso ut quod instituisti, superis bene fortunantibus, feliciter absoluas. Bene fortunet Christus opt. Max. quod in manibus est. Feliciter cedat quod instituisti. Feliciter exeat, quod aggressus es. Rem sanctã aggressus es, precor, ut felix sit exitus. Felix ac prosperum numen, aspiret pulcherrimis cœptis. Christus bene cœpta secundet. Prospere succedat, quod auspicatus es. Deum opt. Maximũq; precor, ut istud consiliũ quàm est honestũ, tam sit & felix. Bonis auibus cœpta res, melioribus exeat. Precor, ut bonis auibus Italiã adeas, melioribus redeas. Opto tibi felicẽ cursum, & recursum feliciorem. Faxit deus, ut itinere hoc feliciter peracto, breui tibi prosperũ reditũ gratulemur. Contingat tibi feliciter & nauigare, & renauigare. Sit iter lætũ, reditus lætior. Vtinã ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. Vtinã tibi tam iucunda sit ista profectio, quàm nobis erit interim molestum tui desyderium. Bonis auspicijs soluas ancorã. Precor ut ex utriusq; uotis, succedat hoc iter. Precor ut hic contractus commodo, bonoq; sit utrisq;. Precor ut

hoc matrimonium, uoluptati ſit omnibus nobis. Soſpitet te Ieſus op. Max. Superi propicii te nobis incolumem reſtituant. Seruet deus animæ dimidium. Opto tibi reditũ incolumem. Precor ut hic annus tibi lætis auſpiciis ineat, lætioribus procedat, lætiſsimis exeat, ac ſæpius recurrat ſemper felicior. RESP. At ego tibi uiciſsim multa ſecula feliciſsima precor, ne tu gratis ſis nobis bene precatus. Precor ut hic dies tibi cãdidus illuxerit. Precor ut hic ſol tibi felix ſurrexerit. R. Tantundem tibi reprecor. Sit felix exortus huius diei, & ſit utriq; noſtrum proſperrimus. Opto tibi noctem proſperam pater. Precor tibi noctem placidam. Contingat tibi felix ſomnus. Det deus placidam quietem. Det ſomnum abſq; ſomniis. Faxit deus, ut aut placide dormias, aut feliciter ſomnies. Sit tibi fauſta nox. At ego tibi, quando gaudere ſoles lucro, pro unà fauſta tibi mille precor fauſtiſsimas.

VALE IN DIGRESSV.

Valete omnes. Bene uale. Cura ut quàm rectiſsime ualeas. Valetudinem tuam cura diligenter. Iubeo te bene ualere. Iam me tempus aliò uocat, tu ualebis. Valeto quàm optime. Vale pancratice, aut ſi mauis Athletice. Vale ut dignus es. Vale ut meritus. In hoc biduum ualebis. Si me dimittis, ualebis in craſtinum.

Num quid uis? Est aliud quod me uelis? R. Nihil nisi ut prospere ualeas. Da operam ut sis prospera ualetudine. Age curam ualetudinis tuæ. Habe curam salutis tuæ. Fac ut proximo congreßu te lætum ac nitidum uideamus. Iubeo te curare cuticulam. Cura ut sit mens sana in corpore sano. Da operam ut totus ualeas, tum corpore, tũ animo R. Dabitur quidem opera. Valebis tu quoq;. Tibi uicißim precor prosperam ualetudinem.

SALVTARE PER ALIVM.

Frobenium iubebis meo nomine saluere plurimum. Erasmiolum item mea causa salutabis diligenter. Tũ matri Gertrudi quam potes officiosißime, ex me salutem dicito. Dic me omnibus omnia læta præcari. Salutabis mihi totam sodalitatem diligenter. Amicos omnes meis uerbis salutato. Vxori salutem ex me annunciabis. Fratri tuo in literis tuis meo nomine salutem ascribes. Mei uice salutabis affinem meum. Nunquid tuis mandas per me? R. Vt recte ualeant, Est ne quod uelis ad tuos perferri me n[illegible]io? R. Multam salutem omnibus, sed præcipue patri. Sunt quos per me tuo nomine uelis salutatos? RESP. Omnes qui de me percontabuntur. Salutem quam mihi ab amicis attulisti, illis multo cum fœnore referes. Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omnes

mea gratia uicißim salutabis accurate. In amicis sa lutandis sis quæso mihi uicarius. Salutaßem gene= rum meum per literas, sed tu mihi apud illum episto= læ uice fueris. Heus heus quò properas? RESP. Rectà Louanium. Resiste paulisper, est quod tibi mandem. RESP. Atqui pediti non conuenit sar= cina. Quid rei est? RESP. Vt Goclenium, Rutgerũ Ioannem Campensem, totumq; chorum trilinguem mihi salutes. R. Si nihil aliud imponis sarcinæ præ= ter salutes facile perferã. Atqui ne gratis istuc facias precor ut tibi quoq; eunti ac redeũti salus sit comes.

REDVCEM QVOMODO SA= LVTARE OPORTEAT.

Saluum te aduenire gaudemus. Sospitem adeße uolu pe est. Te nobis redditũ eße uoluptati est. Gratulamur tibi felicem reditum. Gratia superis, quod nobis inco lumis redieris. Quo molestius fuit nobis tui desideriũ hoc redditus cõspectus tui iucũdior est. Gratulamur & tibi & nobis, quod uiuus ac ualens nobis restitu= tus sis. Hoc [illegible]itus tuus est nobis iucundior, quo mi= nus expectatus. R. Ego uicißim lætor, qđ incolumis, uos incolumes offenderĩ. Quod te saluũ repererĩ, ue hementer gaudeo. Non uiderer mihi redisse saluus, nisi uos saluos reppirißem. Nũc demũ mihi uideor sospes, cũ uos ĩcolumes ac pulchre ualẽtes cõspicio.

QVIORVM FORMVLAE.
PERCONTANDI FOR. IN PRIMO CONGRESSV. GEORGIVS LIVINVS PERSO.

G. Ex qua tandem corte aut cauea nobis ades? L. Quid ita? G. Qui male saginatus. Quia mane pel luces totus, ariditate crepitas. Vnde prodis? L. E collegio montis acuti. G. Ergo ades nobis onustus literis. L. Imò pediculis. G. Pulchre comitatus aduenis. L. Sanè, nec tutũ est nunc uiatorem ire incomitatum. G. Agnosco satellitium scholasticũ. Ecquid nouarum rerum adfers è Lutetia? L. Illud imprimis quod scio tibi uidebitur ĩcredibile. Lutetiæ Beta sapit, & Quercus concionatur. G. Quid tu narras? L. Hoc quod audis. G. Quid ego audio? L. Hoc quod narro. G. Mõstri simile. L. At qui sic res habet, Nec audita narro, sed comperta. G. Oportet igitur illic plurimũ sapere homines, si sapit Beta & Quercus. L. Recte coniectas.

ALIA

G. Valés ne? L. Contemplare uultũ. G. Qui magis lotium iubes. L. An me putas medicum? G. Non rogo quid ualeas, nã facies ipsa loquitur te belle ualere, sed quomodo tibi placeas. L. Corpus quidem belle habet, sed animo male est. G. At non ualet qui isthac parte laborat. L. Sic res habent

meæ.

meæ. G. Corpus ualet, sed ægrotat crumena. L. Facile isti morbo medebitur mater. G. Vt ualuisti usq;? L. Varie, ut sunt res mortaliũ. G. Satin' recte uales? Salua ne res? Satin' salua res? Fuisti ne semper prospera ualetudine? L. Prosperrima, gratia superis. Ego dei beneficio perpetuo bellissime ualui. Semper prospera ualetudine sum usus. Hacte nus bona ualetudine fui, fausta, incolumi, felici, prospera, sequunda, integra, basilica, athletica, pancratica ualetudine. G. Faxint superi ut isthuc sit perpetuum ac propriũ. Lætus istud audio. Voluptatem mihi nuncias. Est isthuc mihi auditu perquàm iucundum. Sermonẽ istum ex te audire supra modũ gaudeo. Isthuc haud inuitus audio. Oppido lætor isthuc audire ex te. Vt idem semp facias opto. Vt ad istũ modũ quàm diutißime ualeas opto. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Gratia superis. Gratiã habeo superis. L. Equidẽ pulchre ualeo, si tu uales. G. Nihil interim molestiæ fuit? L. Nihil, nisi quod uestra consuetudine frui nõ licuit. G. Quo pacto uales? L. Recte, pulchre, belle, perbelle, bellißime, perpulchre, feliciter, commode, minime male. Valeo ut uolo, potius quàm ut mereor, basilice, pancratice, athletice. G. Expectabam, ut diceres etiam taurice.

MALE VALERE.

G. Recte

G. Rectè ne uales? L. Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunq; ualeo. Sic satis. Valeo ut possum, quãdo ut uolo nõ licet. Vt soleo. Ita ut superis uisum est. Non optime sanè. Sic ut antehac peius nunquam. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent quibus cũ medicis res est. G. Vt uales? L. Secus quàm uellem. G. Qua ualetudine es? L. Haud sanè cõmoda, incõmoda, perquàm incommoda, infelici, parum prospera, parum sequunda, mala, aduersa, infausta, imbecilli, dubia, mediocri, uix mediocri, longe alia quàm uellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis. G. Rem mihi sanè quàm acerbam narras. Prohibeant superi. Auertat deus. Bona uerba. Hic cupiam te uanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractoq; sis animo. Multũ iuuat, animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secũdioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? L. Nescio, & hoc laboro periculosius. G. Verũ. Nã ad sanitatẽ gradus est, nouisse morbũ. Nullos ne consuluisti medicos? L. Et quidem permultos. G. Quid respõdent? L. Id quod aduocati Demophoni apud Comicũ. Alius negat, alius ait, alius

delibe-

deliberandũ censet. In hoc cõsentiũt omnes me miserũ esse. G. Quã pridẽ habet te hoc mali? Diu est quod teneris isto morbo? Quantũ tẽporis est, quod te malũ hoc corripuit? L. Dies plus minus uiginti. Fermè mensis est. Iam tertius est mensis. Mihi quidem seculũ uidetur, quod ægrotare cœpi. G. Adnitendũ censeo, ne morbus fiat familiaris. L. Iã nimiũ assueuit. G. Nũ est hydrops? L. Negat. G. Num dysenteria? L. Nõ arbitror. G. Num febris? L. Opinor febris esse speciẽ, sed nouã, ut nunc noui subinde morbi exoriũtur antehac incogniti. G. At plus satis erat ueterũ. L. Ita uisum est naturæ, nimiũ nõ uercæ. G. Quoto die recurrit dolor? L. Quoto die narras? imò quotidie sæpius quã Euripus. G. Papæ malum abominandũ. Vnde contraxisti malum? Vnde suspicaris hoc esse collectũ malũ? L. Ex inedia. G. At nõ soles usq; adeo superstitiosus esse, ut te ieiunio macerares? L. Nõ erat religio, sed inopia. G. Quænam? L. Quia nõ dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E putribus ouis morbũ ortum suspicor. E uino plus satis diluto. E crudis malis cõtracta est stomachi cruditas. G. Vide ne ex immodico aut intẽpestiuo studio concilaris hoc mali. aut ex potatiõe largiore, aut Venere parũ moderata. Quin accersis medicũ? L. Timeo ne citius morbũ augeat, q̃ adimat.

Metus

Metuo ne pro remedio det uenenũ. G. Deligendus est igitur cui tuto fidas. L. Si moriendũ est, malo semel mori, q̃ tot pharmacis excarnificatus. G. Fac igitur, ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini medico, præcor ut sit tibi medici uice deus. Sunt qui tecti cuculla Dominicali aut Franciscana reualuerũt. L. Idem fortaßis euenisset, si lenonis pallio tecti fuissent. Verum ista diffidenti nil conducunt. G. Fide igitur ut reuiuiscas. Alij morbo leuati sunt, nuncupatis alicui diuo uotis. L. At ego cum diuis non pacisсor. G. Proinde tu uel à Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium. L. At ego an beneficium sit, nescio. G. An non beneficiũ est liberari morbo? L. Nonnunquàm mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi ut quod scit optimũ esse mihi largiatur. G. Sume quod aluum deijciat. L. Iam sua sponte cita est. G. Ciendus est aluus. Mouendus est aluus. L. Imò sistendus est magis. Nam plus satis profluit.

ALIA.

G. Fuit ne tibi hoc iter faustũ & commodum? L. Sic satis, nisi quod nihil usquàm tutum est à latronibus. G. Hic est belli ludus. L. Est, sed sceleratissimus. G. Pedes aduenis, an eques? L. Partim pedestri itinere, partim uehiculo, partim equo, partim nauigio. G. Quo in statu sunt res Gallicæ?

L. San

L. Sanè turbulēto. Magnæ bellorū minæ sunt. Qui mali allaturi sint hostibus, nescio, certe Galli iam ips nō dicendis malis affliguntur. G. Vnde proficiscu tur isti bellorum tumultus? L. Vnde nisi ex stult Monarcharū. G. At horum prudentia conueni sedari rerum humanarū tempestates. L. Sedant ill quidē, sed ut auster mare. Persuadent sibi se deos suaq; causa mundū hunc esse conditum. Imò pr rei publicæ gratia cōstituitur, non res publica p pis causa. Imò nō desunt Theologi, qui frigidam fundant, & ad hos tumultus claßicum canant: Istos ego statuerem in prima acie. L. At illi s uent post principia. G. Ista publica satis cu linquamus. Tuæ res quo tandē in statu sunt? ptimo, felici, mediocri, tolerabili. G. Quo p : res habent tuæ? num ex uoto? L. Imò supra u supra meritum, supra spem. G. Satin' ex sent Satin' salua omnia? Satis ne prospere omnia? Res in peiore statu esse nō potest. Peiore in loco gociū non potest esse. G. Non cepisti igitur quod ptabas? Nō contigit præda quam uenabaris? L. Venabar equidem, sed irata Delia. G. Nihil reliqu est spei? L. Spei permultū, sed rei nihil. G. Episcopus nihil ostēdit spei? L. Tota plaustra, totas naues, sed præterea nihil. G. Nihil adhuc misit? L. Promisit

ris. Sic libuit genio meo malo. C. Vides igitur doctrinam ac uirtutem tutißimas eße diuitias, quæ nec eripi poßunt, nec grauãt circũferentẽ. M. Pulchre tu quidem philosopharis. Sed interim ego ringor.

ALIA PERSONAE. CLAVDIVS. BALBVS.

Gratulor tibi reduci Balbe. B. Et ego tibi superstiti Claudi. C. Gratulor tibi in patriam reuerso. B. Imò gratulare magis è Gallia profugo. C. Quid ita? B. Quia illic bellis feruent omnia. C. Quid Musis cum Marte? B. Atq; illic ne Musis q̃dem parcitur. C. Tu igitur feliciter elapsus es. B. At non sine periculo. C. Totus alius nobis redisti. B. Qui sic? C. Ex Hollando uersus es in Gallum. B. Quid? an capus eram quum hinc abirem? C. Vestis indicat te mutatum ex Batauo in Gallum. B. Hanc metamorphosin malim quàm in gallinam. Sed ut cuculla non facit monachum, ita nec uestis Gallum. C. Iám ne calles Gallice? B. Sic satis. C. Quo pacto didicisti? B. A magistris haud quaquàm mutis. C. Quibus? B. A mulierculis quouis turture loquacioribus. C. In tali ludo facile discimus loqui? Sonas ne probe sermonem Gallicum? B. Imò & Latinum sono Gallice. C. Nunquam igitur scribes bona carmina. B. Quur ita? C. Quia

periit tibi syllabarum quantitas. B. Mihi satis est qualitas C. Quid, est ne Lutetia immunis à pestilentia? B. Nō est, sed perpetua non est, aliquādo remittit sese mox recrudescit, nonnunquā intermittitur, deinde recipit sese. C. Non sat erat malorum, ubi bellū est? B. Erat, nisi secus esset uisum superis. C. Annonæ caritatē isthic esse oportet. B. Imò penuriam. Omniū rerum illic inopia est, præterquàm sceleratorū militū. Bonorū uirorum illic est mira uilitas. C. Quid accidit Gallis, ut bellum suscipiant cū aquila? B. Quia mouet illos exemplū scarabei, qui nō cessit aquilæ. In bello nemo sibi non uidetur Hercules. C. Nō te remorabor diutius. Aliâs latius nugabimur, quum erit utriq; commodū. Nunc aliò me uocant negociola quædam.

DOMESTICA CONFABVLATIO.

PERSONAE. PETRVS, MIDA, PVER, IODOCVS.

Petrus. Heus heus puer, nemon' hinc prodit? M. Hic opinor effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput. Quid adfers mi Petre? P. Meipsum. M. Næ tu rem haud magni precii huc attulisti P. Atqui magno constiti patri meo. M. Credo, pluris quam reuendi possis. P. Sed Iodocus est ne domi? Iodo. Incertus sum, sed uisam. P. Quin tu potius abi & roga ipsum, an uelit, nunc esse domi. M. Abi tu

potius

potius, sisq; tibi ipsi Mercurius. P. Heus Iodoce, num est domi? Iod. Non sum. P. Impudens nõ ego audio te loquentem? Io. Imò tu impudentior. P. Nuper ancillæ tuæ credidi te nõ esse domi, & tu non credis mihi ipsi? Iod. Aequum dicis, par pari relatum. Equidem ut nõ omnibus dormio, ita nõ omnibus sum domi. Tibi posthac semp ero. P. Sed tu mihi uidere Cochleæ uitã agere. Io. Qui sic? P. Quia perpetuo domi lates, nec usquã prorepis. Nõ secus atq; claudus sutor, iugiter domi desides. Tu tibi domi situ contrahis. Iod. Est quod agam domi, foris nihil est negocij. Et si quid esset, tamen hoc cœlũ me dies aliquot à publico cohibuisset. Iod. At nunc sudum est, & inuitat ad deambulandum. Vide ut blanditur. Iod. Si prodeambulare lubet, non recuso. P. Planè uidetur hoc utendũ cœlo. Iod. Asciscendus est unus aut alter cõgerro. P, Fiet modo dicas quos uelis. Iod. Quid si Hugone? P. Haud multũ interest inter Hugonẽ & nugonem. Iod. Age placet. P. Quid si Alardus? Iod. Homo minime mutus est. Quod auribus diminutũ est, lingua pensat. P. Si uidetur, Neuium adiũgemus. Iod. Siquidẽ dabitur illius copia, nunquã erit fabularum inopia. Placent confabulones, superest ut locũ dispicias amœnum. P. Ego uero tibi locũ ostendam, ubi nec nemoris umbram, nec

 pratorũ

pratorum smaragdinũ uirorem, nec fontiũ uiuas scatebras desyderabis. Dices dignam musis sedẽ. Iod. Magnifice polliceris. P. Nimium affixus es libris. Nimiũ assides libris. Immodico studio te maceras. Iod. Malim studio macrescere, quàm amore. P. At non ideo uiuimus, ut studeamus, sed ideo studemus, ut suauiter uiuamus. Iod. Mihi uero uel immori chartis dulce est. P. Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid uoluptati fuit hæc deambulatio? Iod. Me quidem uehementer oblectauit.

ALIA. PERSONAE. AEGIDIVS. LEONARDVS.

Aeg. Quò noster Leonardus? L. Ad te ibam. Ae. Istud qnidem facis insolens, L. Quã ob rem? Aeg. Quia iam annus est quod nos non uiseris. L. Malo in hãc peccare partem ut desiderer, quã ut obtundã. Aeg. Imò boni amici nulla est apud me satietas. Imò quo crebrius uenies, hoc mihi uenies gratior. L. Quid interim agitur domi tuæ? Aeg. Multa sanè quæ nolim. L. Nõ miror. Sed iam ne peperit uxor? Aeg. Iam dudũ & quidem gemellos. L. Quid ego audio? Aeg. Sic res habet, atq; illi iam denuo tumet uterus. L. Isthoc pacto solet augeri familia. Ae. Sed utinã fortuna sic augeret pecuniã, ut uxor familiam. L. Iam ne elocasti filiã? Aeg. Nondũ. L. Vide ne

parum

parum tutum sit uirginem tam grandem detinere domi. Quærendus est gener aliquis. Aeg. Nihil opus. Iam proci complures illam ambiunt sponsam. L. Quid igitur superest, nisi ut è multis deligas qui tibi maxime sit accommodus? Aeg. Omnes eiusmodi sunt, ut nesciã quem cui præferã. Sed abhorret à nuptijs filia. L. Quid ais? Atqui, ni fallor, iam dudũ nubilis est. Iamdudũ est apta uiro, matura cõiugio: Iampridem est tẽpestiua uiro. Aeg. Quid ni? annũ egressa iam decimũ septimum. Maior annis duodeuiginti. Annũ iam agens undeuigesimũ. Annos nata decem & octo. L. Cur abhorret igitur à matrimonio? Aeg. Ait se uelle Christo nubere. L. Sanè multas habet ille spõsas! An diabolo nupsit, quæ castè uiuit cum marito? Aeg. Mihi quidem non uidetur. L. Quis deus hunc affectum afflauit filiæ? Aeg. Nescio, sed abduci ab hoc proposito nullis rationibus potest. L. Vide ne sint incãtatores qui instigent & allectent. Aeg. Noui ego istos plagiarios. Sedulo arceo hoc hominum genus ab ædibus meis. L. Quid igitur est in animo? Morem geres animo puellæ? Aeg. Equidem obluctabor quoad licebit. Nihil non experiar, quo mutem illius sententiam. Quod si pertendet, ut cœpit, non pugnabo cũ illius animo, ne forte uidear θεομαχεῖν, uel potius

 μοναχο-

μοναχομαχεῖν. L. Religiose tu quidem loqueris. Sed etiã atq; etiam fac explores uirginis cõstantiã, ne post facti pœniteat, quũ mutare non erit integrũ. Aeg. Equidẽ adnitar pro mea uirili. L. Quid rerum gerunt filij? Aeg. Natu maximus iã dudũ maritus est, breui pater futurus. Minimũ ablegaui Lutetiam. Nã hic nihil aliud quã ludebat. L. Quid cò? Aeg. Vt magister nobis redeat stultior quàm exierat. L. Bona uerba. Aeg. Medius iam cœpit initiari sacris. L. Precor ut bene uertat omnibus.

ALIA. PERSONAE. MOPSVS, DROMO.

M. Quid fit? Quid agitur Dromo? D. Sedetur. M. Video. Sed quomodo se res habent tuæ? D. Vt solent ijs, quibus superi sunt parũ propicij. M. Istuc ominis auertat deus. Quid agis? D. Equidem ociũ ago. Id quod uides, nimirũ nihil. M. Præstat ociosum esse quã nihil agere. Ego te fortaßis occupatũ serijs negocijs, interpello. D. Imò maxime uacuum. Iam enim me ceperat ocij tædium, & congerronem desyderabã. M. Fortaßis impedio, interrumpo, interturbo tua negocia. D. Imò tædium ocij discutis. M. Da ueniã si te parum in tempore interpellarim. D. Imò ipso in tempore aduenis. Opportune te huc attulisti Optatus ades. Interuẽtus tuus est mihi uehe

menter

menter gratus. M. *Fortaßis aliquid seriæ rei inter uos agitur, cui nolim esse impedimento.* D. *Imò lupus, quod aiunt, ades in fabula. Nã de te sermo erat.* M. *Facile crediderim, nã mihi huc uenienti mire tinniebat auris.* D. *Vtra?* M. *Læua. Vnde conijcio nihil magnifice de me fuisse prædicatũ.* D. *Imò nihil nõ honorificũ.* M. *Vanũ igitur fuerit oportet. Sed quid est bonæ rei?* D. *Aiunt te uenatorem esse factũ.* M. *Imò iam intra casses meos est præda quam uenabar.* D. *Quæ nam? Lepida puella, quam perhendie ducturus sum, uosq; oro, ut meas nuptias uestra præsentia dignemini honestare.* M. *Quæ nã est sponsa?* D. *Aloisia Chremetis filia.* M. *Egregiũ spectatorẽ formarum. Tuis oculis adlubuit illa, nigro capillitio, simis naribus, ore prælargo, uentre prominulo.* D. *Desinite. Mihi eam duxi, nõ uobis. Non sat est, quod suo regi pulchra est regina? Ita demum illa mihi placebit, si uobis non admodum placeat.*

ALIA. SYRVS, GETA.

Sy. *Opto tibi multã felicitatem.* G. *Et ego tibi conduplicatũ opto, quicquid optas mihi.* Sy. *Quid agis rei?* G. *Confabulor.* Sy. *Quid? cõfabulare solus?* G. *Vt uides.* Sy. *Fortasse tecũ. Proinde tibi uidendum, ut cum homine probo fabuleris.* G. *Imò cum lepidißimo cõgerrone cõfabulor.* Sy. *Quo?* G.

Apuleio. S. Istud quidem nunquàm nõ facis. Amant alterna Camœnæ. Tu perpetuo studes. G. Non est ulla studiorum satietas. S. Verum, sed est tamen modus quidã. Non omittenda quidem sunt studia, sed tamen intermittenda nonnunquam. Non abij=cienda sunt, sed relaxanda. Nihil suaue quod perpetuum. Voluptates cõmendat rarior usus. Tu nihil aliud q̃ studes. Perpetuo studes. Cõtinenter incumbis literis. Indesinenter inhæres chartis. Studes noctes ac dies. Nunq̃ nõ studes. Aßiduus es in studio. Iugiter intentus es libris. Nullũ facis studendi finẽ, neq; modũ. Nullã studijs tuis requiem intermisces. Nunq̃ studendi laborẽ nec intermittis, nec remittis. G. Age tuo more facis. Rides me ut soles. Nunc ludis tu quidem me. Salse me rides. Satyricum agis. Naso me suspendis adunco. Nõ me fallit tuũ scomma. Nũc planè ioco mecũ agis. Sum tibi risui. Rideor abs te. Pro delectamento me habes. Nũc me ludos deliciasq; facis. Eadẽ opera assue mihi auriculas asini. Ipsi codices puluere, situq; obducti loquuntur, quã sim immodicus in studio. S. Emoriar, ni lo=quor ex animo. Dispeream si quid fingo. Loquor id quod sentio. Quod res est dico. Serio loquor. Ex animo loquor. Non secus sentio, quã loquor.

CVR NON VISIS.

G. Quid

G. Quid causæ est, q̃ tamdiu nos nõ inuiseris? Quid rei est, quod nos tam raro uisis? Quid accidit, quod tanto tẽpore nos non adieris? Quare tam rarus es salutator? Quid sibi uult, quod nos iamdiu nõ conueneris? Quid obstitit, quo minus uisas nos frequentius? Quid impedimento fuit, quo minus feceris nobis tui uidendi copiam?

NON LICVIT PER OCCVPATIONES.

S. Non licuit per ocium. Volui quidem, at non licuit mihi per mea negocia. Hactenus non sinebant negocia, ut te uiserem. Nõ patiebãtur undæ negociorũ quibus inuoluebar, ut te salutarẽ. Occupatior fui, quã ut potuerim. Tã uarijs distringebar curis, ut mihi nõ fuerit liberũ adire te. Vix ipsi mihi fuit copia mei, sic me totũ molesta quædã negocia possidebãt. Negocijs meis imputabis, non mihi. Nõ defuit uolũtas, sed uetuit necessitas. Hactenus nõ uacauit. Hactenus nõ cõtigit ociũ. Hactenus nõ fuit uacuũ. Nõ licuit per ualetudinẽ. Nõ licuit per tempestatem. G. Equidem accipio tuam excusationẽ, sed hac lege ne sæpius utaris. Excusatio tua iustior est quã uellem, siqdem ualetudo fuit in causa. Hac lege mihi purgatus eris, si quod factum est, officio sarcias. Si superiorem cessationem crebra uisitatione penses.

S. Tu

S. Tu nihil moraris istiusmodi officia nimiũ uulgaria. Amicitia nostra firmior est, quàm ut sit officijs istis uulgaribus alenda. Satis crebro uisit, qui cõstanter amat. G. Male sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecer istis negocijs, quæ talẽ amicũ nobis inuidẽt? Peßime sit isti febri, quæ nos tã graui desyderio torsit tui. Male pereat ista febris te incolumi.

MANDANDI AC POLLICENDI.

IACOBVS. SAPIDVS.

Ia. Quæso ut hæc res tibi cordi sit. Etiam atq; etiã rogo ut hoc negotiũ tibi sit curæ. Hac in re uelim ut totum Sapidũ exeras. Si me amas causam hãc tractabis diligenter. Hac in re quæso ut aduigiles. Curabis hãc rem mea causa diligenter. Si uere is es, quẽ semper esse te mihi persuasi, fac ut sentiam hac in causa, quãti me facias. Sapid. Desine, ego tibi hoc effectũ reddã, & q̃dem propediem. Euentũ præstare nõ possum. Illud polliceor mihi, nec fidem, nec studiũ defuturum. Curabo diligẽtius, quã si mea res ageretur. Quanquã meã esse duco, quæ sit amici. Fac ut in me quiduis desyderes citius, quã fidem ac diligentiã. Tu fac in utrãq; dormias aurem. Ego tibi hoc cõfectum dabo. Tu quietus esto, in me recipio prouinciam omnem. Gaudeo mihi datã occasionẽ, qua declarem animũ in te meũ. Equidem oratiõe nihil polliceor, sed re

ſed re præſtabo, quicquid eſt amici ſynceri, & ex animo bene uolentis. Nolim te lactare uana ſpe. Illud efficiam, ut dicas hoc negotij mandatum amico.

SVCCESSVS.

Sapid. Res ſucceßit opinione melius. Fortuna uotis utriusq; fauit. Si fortuna tibi nupſiſſet, non potuiſſet eſſe ſecũdior. Res tua & uentis & amne ſequũdo proceßit. Vicit etiã uota noſtra fortunæ fauentis afflatus. Opinor te litaſſe Rhamnuſiæ, cui ſic ex ſententia cadũt omnia. Plus impetraui quã fuiſſem auſus optare. Vẽtis per omnia ſequũdis hic curſus nobis peractus eſt. Res omnis cecidit ex ſententia.

GRATIA.

Iac. Equidem gratiam & habeo, & habiturus ſum quo ad uiuam maximam. Pro iſto tuo in me officio, pares agere gratias uix poßim, referre nequaquam. Video quãtum debeam tuo in me ſtudio. Nihil miror, neq; enim tu quicquã noui feciſti, & hoc magis debeo. De iſtoc tuo in me officio, amo te mi Sapide, ut par eſt maxime. Quod hac in cauſa præſtiteris amicum minime aulicum, & habetur à me gratia & ſemper habebitur. Quod meum negociũ tibi cordi fuerit, amo te & habeo gratiã. Iſtoc officio gratiã iniſti apud me maximã. Pergratũ eſt, quod cauſam meam egeris bona fide. Ex omnibus officijs, quæ tu

plurima

plurima in me contulisti, hoc est longe gratissimum. Referre gratiã parem nequaquã possum, agere accuratius, inter nos superuacaneũ sit, quod unũ possum habebo dum uixero. Istoc beneficio fateor tibi me magnopere deuinctum esse. Hoc nomine plus tibi debeo, quàm ut unquam soluendo esse queam. Hoc beneficio arctius me tibi deuinxisti, quàm ut possim dissoluere. Obligatiorem me tibi reddidisti, quã ut nomen meũ è tuo diario possim unquam expungere. Hoc officio me sic tuũ reddidisti, ut nullum mancipiũ æque sit in rebus heri sui. Hac re me tibi deuinctiorem reddidisti, quàm ut unquam æs alienũ possim resoluere. Plurimis nominibus tibi debeo, sed nõ alio plus quam hoc. Pro mediocribus beneficijs agendæ sunt gratiæ, hoc maius est, quàm ut conueniat uerbis gratias agere.

RESPONSIO.

Sap. Aufer mihi ista. Maior est nostra necessitudo, quàm ut uel tu mihi, uel ego tibi pro ullo officio debeam gratias agere. Non contuli hoc in te beneficium, sed retuli. Mihi quidem abunde relatam gratiam arbitror, si gratum est quod feci sedulo. Nõ est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficijs nõ uulgaribus, hoc officioli rependis. Equidem nihil laudis mereor, ingratissimus habendus, si defuissem amico.

ra, tamen sibi etiam persuadeant se uera loqui. A. Mira uoluptas. Nõ omnino tibi periit oleum & opera, quod aiunt. C. Imò hoc arbitror aliquanto consultius, quàm qui paulo pecuniæ cõducti proficiscuntur in militiam, omnium scelerum scholam. A. Sed illiberalis est uoluptas, ex mendaciis uoluptatem capere. C. Verũ hoc aliquãto liberalius quam obtrectatione, uel delectare, uel delectari, aut alea tempus & rem perdere. A. Cogor equidẽ pedibus in tuam ire sententiã. C. Verũ est & alius fructus. A. Quis? Si quis erit amicus egregie charus, affinis huic insaniæ, cũ admonebo ut domi maneat. Vt nautæ solent eiecto naufragio, monere nauigaturos quid periculi sit uitãdũ. A. Vtinam mihi monitor adfuisses in tẽpore. C. Quid? Num similis morbus te quoq; corripuit? Nũ afflauit & te huius mali contagium? A. Visi Romã & Compostellam. C. Deum immortalẽ, quanto mihi solatio est, te contigisse stulticiæ meæ socium, Quæ pallas isthuc tibi misit in mentem? A. Nõ Pallas, sed ipsa Moria, præsertim cũ domi haberem uxorem, integra ad huc ætate, liberos aliquot, et familiã quæ pẽdebat ex me, & opera mea quotidiana alitur. C. Oportuit fuisse seriæ rei quippiam, quod te à charissimis tuis distraxerit. Narra obsecro. A. Pudet dicecere. C. Non apud me, qui ut scis, eodem teneor ma

lo. A. Compotabamus aliquot uicini. Vbi uino incaluerat animus, erat qui prædicabat sibi eße in animo, salutare diuum Iacobum, erat alter, qui diuum Petrũ. Ilico nõ defuit unus aut alter, qui sponderent se comites fore. Tãdem uisum est ut omnes irent simul. Ego, ne uiderer parum cõmodus compotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari ceptũ, utrò potius iremus Romam an Compostellã. Factum est senatusconsultum, ut bonis auspiciis utroq; postridie proficisceremur omnes. C. O graue decretum, dignius quod uino inscriberetur quàm æri. A. Ac mox ingens obambulat patera, quàm ubi suo quisq; ordine ebibißet, uotũ factũ est inuiolabile. C. Noua religio, sed num omnibus cõtigit reditus incolumis? A. Omnibus præter quàm tribus, quorũ unus in profectione moriens mãdauit nobis, ut suis uerbis salutẽ diceremus, Petro & Iacobo. Alter perijt Romæ, iußitq; ut suo nomine salutaremus uxorem ac liberos. Tertium reliquimus Florentiæ, ualetudinis planè deploratæ. Opinor iam eße apud superos. C. Adeó ne pius erat? A. Imò nugator maximus. C. Vnde igitur isthuc suspicare? A. Quia peram habebat indulgentiis largißimis distentam. C. Audio, sed iter est longum in cœlum, nec satis ut audio tutum, ob latrunculos qui obsident regionem aëris mediam. A. Verum, sed ille sat

erat

erat munitus diplomatibus. C. Qua lingua descri ptis? A. Romana. C. In tuto est igitur. A. Est, nisi forte incidat in genium aliquem, qui latine nesciat. Tum eßet illi redeundum Romam, & nouum diploma impetrandum. C. Bullæ ueenduntur illic & mortuis? A. Maxime. Sed quando fruemur illa uoluptate quã modo prædicabas? C. Quũ erit commodum. Adornabimus compotatiunculam aliquã, uocabimus nostri ordinis homines. Ibi certabimus mentiendo, nosq; affatim mutuis mendacijs oblectabimus. A. Age fiat.

ALIA. PAMPHAGVS, COCLES.

P. Aut parum prospiciunt oculi, aut Coclitem ueterem compotorem meum uideo. C. Imò nihil te fallunt oculi tui, uides sodalem ex animo tuum. P. Nulla cuiquã erat spes reditus tui, q tot annos abfueris, ignotus omnibus, quæ te terrarũ haberet regio. Sed unde dic quæso? C. Ab antipodibus. P. Imò ab insulis, opinor, fortunatis. C. Gaudeo quod agnoueris sodalẽ tuũ, nam uerebar, ne sic domum redirem, quem admodum rediit Vlyßes. P. Quo nam pacto redijt ille? C. Nec ab uxore est agnitus. Solus canis iam uetulus mota cauda dominum agnouit. P. Quot annos ille domo abfuerat? C. Viginti. P. Tu plures abfuisti, nec tamẽ fefellit me tua facies. Sed

quis isthuc narrat de Vlyße? C. Homerus. P. Oh. Il le, ut aiunt, pater est omniũ fabularũ. Fortaßis uxor interim asciuerat taurum alium, & icci rco nõ agno uit Vlyßem suum. C. Imò nihil illa castius, sed Pallas addiderat illi senium ne poßet agnosci. P. Qui tandem agnitus est? C. E tuberculo quod habebat in digito pedis. Id animaduertit nutrix iam ad modũ anus dum illi pedes lauat. P. O curiosam lamiam. Et tu miraris si te agnoui, ex isto tam insigni naso? C. Nihil me pœnitet huius nasi. P. Nec est cur pœniteat, cum organum tibi sit, ad res tam multas utile. C. Ad quas? P. Primum ad extinguẽdas lucernas, erit cornu uice. C. Perge. P. Deinde si quid hauriendũ erit è cauo profundiore, fuerit loco promuscidis. C. Papę. P. Si manus erunt occupatæ, licebit uti uice paxilli. C. Etiam ne amplius? P. Conducet excitando foculo, si defuerit follis. C. Belle narras? Quid præterea? P. Si lumen officiat scribenti, præbebit umbraculum. C. Ha ha he. Est præterea quod dicas? P. In bello nauali præbebit usum harpagonis. C. Quid in bello terrestri? P. Erit loco clypei. C. Quid dinde? P. Findendis lignis erit cuneus. C. Probe. P. Si præconem agas, erit tuba. Si claßicum canas, cornu. si fodias, ligo. si metas, falx. si nauiges ancora. In popina fuerit fuscina, in piscãdo, hamus. C.

O me

O me felicem, nesciebã me circumferre tam ad multa cõducibilem supellectilem. Sed quis interim terrarum angulus te habuit? P. Roma. C. Atqui fieri potuit ut in tãta luce nemo te sciret uiuum? P. Imò nusquã magis latent boni uiri. Adeo ut sæpe clarissima luce neminem uideas in frequenti foro. C. Redis igitur nobis onustus sacerdotijs. P. Venatus equidẽ sum sedulo, at parũ fauit Delia. Nã complures illic piscãtur hamo, quod dici solet, aureo. C. Stultũ piscandi genus. P. Et tamen pulchre succedit nõnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc alea. C. An nõ insigniter stulti sunt, qui plumbũ cõmutant auro? P. Sed tu non intelligis in plumbo sacro, uenas auri subesse. C. Quid igitur redisti nobis, nihil aliud quã Pamphagus? P. Non. C. Quid igitur? P. Lupus hians. C. Felicius redeũt, qui asini redeunt sacerdotiorum sarcina graues. Cur mauis sacerdotiũ quàm uxorem? P. Quia mihi placet ocium. Arridet Epicurea uita. C. At mea sententia suauius uiuunt, quibus est lepida puella domi, quã complectantur quoties libet. P. Sed adde nonnunquã quum non libet. Amo uoluptatẽ perpetuã. Qui ducit uxorem, uno mense felix est, cui contingit opimum sacerdotium, in omnem usq; uitã fruitur gaudio. C. Sed tristis est solitudo. Adeo ut nec Adam suauiter uicturus fuerit

in paradiso, nisi deus illi adiunxisset Euam. P. Non deerit Eua cui sit opulentum sacerdotiũ. C. Sed uoluptas non est uoluptas quæ cũ mala fama, malaq; cõscientia cõiuncta est. P. Verum dicis, & idcirco mihi in animo est, confabulatione librorum solitudinis tædium fallere. C. Istis quidem sodalibus nihil iucundius. P. Sed redis ne ad tuã piscationem? C. Redeo si liceat parare nouã escam. P. Aureã ne aut argenteam? C. Vtram libet. P. Bono animo es, pater suppeditabit. C. Nihil illo tenacius. Nec creditur us est denuo, cum intellexerit mihi sortem etiã perisse? P. Verum ista lex est aleæ. C. Sed ille non delectatur hac alea. P. Si pernegabit ille, commonstrabo tibi unde poßis quantum uoles pecuniæ sumere. C. Tu mihi uoluptatem narras. Age narra, iam cor mihi salit. P. In promptu est. C. Nactus es thesaurum aliquem? P. Si nactus essem, mihi nactus essem, non tibi. C. Si queam corradere centum ducatos, reuixerit spes. P. At ego tibi commõstro, unde poßis haurire centum milia. C. Quin tu igitur me beas. Ne diutius eneca. Dic unde. P. Ex asse Budæi: illic reperies innumeras myriades, siue auream malis monetam, siue argenteam. C. Abi quò dignus es cum tuo ioco. Illinc tibi resoluam quod debuero pecuniæ. P. Resolues, sed quod illinc tibi numeraro.

C. Age

C. Age noui nasum tuũ. P. At mihi præ te nasus est nullus. C. Imò nihil te nasutius. Nihil es nisi nasus. P. Ludis in re seria. Hac in re ringi poßim citius q̃ ridere. Res grauior est quàm ut ridere libeat. Tu si hic esses, non luderes. C. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi, & illudis me. Ioco me tractas in re neutiquàm iocosa. P. Minime rideo, id quod res est dico. Non rideo qdem, imò rem ipsam dico. Serio loquor. Ex animo loquor, Simpliciter loquor. Vera loquor. C. Ita tibi semper stet in capite, pileum, ut ista tu simpliciter loqueris. Sed cesso abire domum, cognitu=rus quo in statu sint illic omnia? P. Offendes noua permulta. C. Credo, sed utinam omnia ex animi sen=tentia. P. Istuc optare licet omnibus, sed hactenus obtigit nemini. C. Hoc quoq; commoditatis adferet utriq; nostrum sua peregrinatio, quod dulcior erit post hac domus. P. Nescio, nam uideo quosdam se=pties illò recurrere. Adeo scabies illa sine fine solet prurire, si quem semel inuaserit.

ALIA MILITARIA.

HANNO, TRASYMACHVS.

H. Vnde nobis redis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? T. Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? H. Quia alatus uidebare quum abi=res, nunc claudicas. T. Sic à bello rediri solet.

H. Quid tibi cũ bello, homo quauis dama fugacior? T. Spes prædæ reddiderat fortem. H. Multũ igitur refers manubiarũ. T. Imò zonã inanem. H. Tãto minus grauare sarcina. T. At qui sceleribus onustus redeo. H. Grauis profecto sarcina, si uerũ dicit propheta, qui peccatũ appellat plumbũ. T. Plus illic scelerũ & uidi & patraui, quàm unquã ante hac in omni uita. H. Ecquid igitur arridet uita militaris? T. Nihil neq; scelestius, neq; calamitosius. H. Quid igitur in mentẽ uenit istis, qui nũmo cõducti, nõnulli gratis currunt ad bellũ, non aliter quàm ad conuiuiũ? T. Ego nihil aliud cõiectare possum, quã illos agi malis furijs, seseq; totos malo dæmoni, ac miseriæ deuouisse, nec aliud quàm hic manes suos antici pare. H. Ita quidem uidetur. Nam ad res honestas uix ullo pretio cõduci queãt. Sed expone nobis quomodo gestũ sit preliũ, & utrò sese inclinarit uictoria. T. Tantus erat strepidus, tumultus, tubarũ bombi, cornuũ tonitrua, hinnitus equorũ, clamor uirorũ, ut neq; uidere potuerim qd gereretur, adeo ut uix scirem ubi essem ipse. H. Vnde igitur cæteri qui ex bello ueniũt, sic depingũt singula, quid quisq; dixerit aut gesserit, quasi nusquã nõ adfuissent ociosi spectatores? T. Ego credo istos mentiri splendide. In tentorio meo quid gestum sit scio, quid in prælio, prorsus igno

ſus ignoro. H. An ne hoc qdem ſcis, unde tibi uenerit claudicatio? T. Vix. Ita me Mauors poſthac male amet. Suſpicor aut ſaxo, aut equi calce læſum genu. H. At ego ſcio. T. Scis, an tibi narrauit aliquis? H. Nõ, ſed diuino. T. Dic igitur. H. Quum fugeres pauidus collapſus humi, offendiſti in ſilicẽ. T. Diſpereã, niſi rem acu tetigiſti. Adeo uериſimile eſt quod diuinaſti. H. Abi domũ, & uxori narra tuas uictorias. T. Illa mihi occinet haud ſuaue Encomiũ, qui nudus redeam. H. Sed unde reſtitues qd' rapuiſti? Iã pridẽ reſtitui. H. Cui? T. Scortis, œnopolis, & his qui me uicerunt alea. H. Satis militariter, par eſt, ut quod male partũ eſt, peius diſpereat. Verũ à ſacrilegijs, opinor, temperatũ eſt. T. Imò nobis il lic erat ſacrum nihil. Nec prophanis parcitũ eſt, nec phanis. H. Quo pacto ſarcies? T. Negãt oportere ſarciri, quod in bello cõmiſſum ſit, Iure fit, quod il lic fit. H. Iure belli fortaßis. T. Tenes. H. At iſtud ius ſumma eſt iniuria. Te nõ patriæ pietas, ſed prædæ ſpes pertraxit in bellum. T. Fateor. Et arbitror paucos illuc ire ſanctiore propoſito. H. Eſt aliquid inſanire cũ multis. T. Concionator è ſuggeſtu pronunciauit bellũ eſſe iuſtũ. H. Suggeſtus ille nõ ſolet mentiri. Sed ut iuſtũ ſit principi, non continuo iuſtũ eſt tibi. T. Audiui ex Rabinis, quod licet ſua cuiq;

arte uiuere. H·Præclara ars, incendere domos, diri
pere tẽpla, uiolare sacras uirgines, spoliare miseros,
occidere innoxios. T·Lanij cõducuntur ad mactan
dũ bouem, quur nostra ars reprehenditur, qđ condu-
cimur ad mactãdos homines? H·Nõ eras solicitus,
quo nã esset migratura anima tua, si cõtigisset in bel
lo cadere? T·Non ad modũ. Bona spes habebat ani
mum meũ. Nã diuæ Barbaræ me semel cõmendarã.
H·Receperat illa tutelã tui? T·Sic mihi uisa est an-
nuere capite aliquãtulum. H·Quãdo istuc tibi ui-
sum est, mâne? T·Non, sed à cœna. H·Sed tum ut
arbitror, etiam arbores tibi uisæ sunt ambulare. T·
Vt hic diuinat omnia? Sed præcipua spes erat in diuo
Christophoro, cuius imaginẽ quotidie cõtemplabar.
H·In tentorijs? Vnde illic diui? T·Carbone pinxe-
ramus illũ in tentorijs. H·Nimirũ haud quaquã fi
culnum, ut aiũt, præsidiũ erat, carbonarius ille Chri
stophorus. Sed extra iocum non uideo qui poßis ex-
piari à tantis flagitijs, nisi te cõferas Romã. T·Imò
noui uiam breuiorẽ. H·Quam? T·Ibo ad Domi-
nicales, illic paululo transigã cũ cõmissarijs. H·Etiã
de sacrilegijs? T·Etiã si Christũ ipsum spoliassem,
ac decollassem etiã, tam largas habẽt indulgẽtias, &
authoritatẽ cõponendi. H·Bene habet, si uestram
compositionem deus ratã habuerit. T·Imò magis
metuo,

metuo, ne diabolus nō habeat ratam. Nam deus natura placabilis est. H. Quem tibi sacerdotē deliges? T. Cui cognouero quàm minimū esse frontis ac bonæ mentis. H. Ne nō habeāt similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus dominicū? T. Quid ni? Posteaquàm semel effudero sentinā in illius cucullam, ego me exoneraui sarcina. Ipse uiderit, qui absoluit. H. Qui scis, an absoluat? T. Scio. H. Quonam indicio? T. Quia manū imponit capiti admurmurans, nescio quid. H. Quid si reddat tibi omnia peccata tua cum manū imponit, hæc admurmurans, Absoluo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te cōperio, & restituo te tuis moribus, talemq́; dimitto, qualem accepi? T. Viderit ille quid dicat, mihi satis est, quod me credo absolutū. H. Sed istuc tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis deo, cui debes. T. Vnde tu mihi obuius, qui mihi conscientiam è serena nubilam redderes. H. Felix occursus. Bona auis est obuius amicus qui bene moneat.

HERILIA, RABINIVS, SYRVS.

H. Heus heus furcifer, iamdudum raucesco clamore, nec tu tamen expergisceris. Videre mihi uel cum gliribus certare posse. Aut ocyus surge, aut ego tibi fuste somnum istum excutiam. Quando crapulam hesternam edormieris? Non te pudet somnium

hominis

hominis, in multā lucem stertere? Qui frugi sunt famuli, solent exortū solis anteuertere, curareq́; ut herus surgens reperiat omnia parata. Vt ægre diuellitur à nido tepefacto cuculus. Dū scalpit caput, dum distendit neruos, dum oscitat, tota abit hora. S. Vix dum diluxit. R. Credo, tibi. Nam tuis oculis adhuc multa nox est. Tibi nox adhuc est concubia. S. Quid me iubes facere? R. Fac ut luceat foculus, uerre pileum ac palliū, exterge calceos & crepidas. Inuersas caligas, primū intus purga scopis, mox foris. Deinde suffitum aliquē facito, purgando aëris. Accende lucernā. Muta mihi lineū indusium, ac sic calotū. S. Fiet. R. At qui moue te ocyus, iam hæc fecisse oportuit. S. Moueo. R. Video, sed nihil promoues, Vt incedit testudo? S. Nō possum simul sorbere & flare. R. Etiā sentētias loqueris carnifex? Tolle matulam. Cōpone lecti stragulas, reuolue cortinas. Verre pauimentū. Verre solū cubiculi. Adfer aquam lauādis manibus. Quid cessas asine? Annus est priusquā accēdas candelā. S. Vix reperio scintillam ignis. R. Sic heri condidisti. S. Nec follem habeo. R. Vt respōsat nebulo, quasi qui te habeat, careat folle. S. Quā imperiosum habeo dominū, uix huius iussis decem expediti famuli fecerint satis. R. Quid ais cessator? S. Nihil, omnia recte. R. Non

ego te

ego te audio ob murmurantē? S. Equidem precor. R. Credo pater noster inuersum. Precationem opinor dominicā præpostere. Quid gannis de imperio? S. Precor tibi ut fias imperator. R. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum usq;. Mox domū recurrito, lectos cōcinnato. Hæc cōfusa, suo quæq; loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulā defricato. Hæc sordida submoueto ab oculis, fortaßis inuisent me q̄dam aulici. Si quid sensero prætermissum, uapulabis largiter. Hic sane noui benignitatem tuā. R. Proinde caue si sapis. S. At interim de prandio nulla mentio. R. Vah, ut hic mentē habet furcifer. Non prandeo domi. Itaq; sub horam decimā ad me trāscurrito, deducturus me eò, ubi sum prāsurus. S. Tibi quidem prospectum, sed hic interim nihil est quod edam. R. Si non est quod edas, est quod esurias. S. Nemo fit esuriendo satur. R. Est panis. S. Est, sed ater & furfuraceus. R. Delicias hominis. Te quidem fœnum esse oportuit, si pabulū detur te dignum. An postulas, ut te asinum, tantum placentis saginem? Si fastidis panem citra obsonium, adde porrum, aut si mauis cepe.

ALIA.

R. Est tibi abeundum in forū. S. Tam procul? R. Non sunt nisi sex passus. Tibi pigro sunt bis mille.

Consulā

Consulam autẽ tuæ pigritiæ. Eadẽ legatiõe multa co
ficies negocia. Tu supputa in digitos, ut memineris
Primũ deflectes ad uestiariũ, ac thoracem undulat:
si iam perfectus est, ab eo recipies. Hinc quæres Co.
nelium ueredariũ. Is plerũq; est in ceruo, ibi poti=
tat. Rogabis si quid habet literarũ ad me, & ad q.
diem sit profecturus. Deinde cõuenies mercatorem
pannariũ, rogabis meis uerbis, ne quid solicitus sit,
quod pecuniã nõ miserim ad diem præscriptũ. Nu=
merabitur propediem. S. Quando, ad Calẽdas Gr
cas? R. Rides ganeo. Imò ante Calendas Mar
In reditu deflectes ad læuã, & ex bibliopolis c
si quid aduectum sit nouorũ libellorum è Ger
Cognosce, qui sint & quanti uenales. Post hæ
gabis Goclenium, ut mihi dignetur esse cõuiua, alio
qui cœnaturo soli. S. Etiã conuiuas uocas? non ha
bes domi, unde uel murem pascas. R. Proinde tu cõ
fectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis armum
ouillum. Eũ curabis elegãter assum. Audin' hæc?
S. Plura quàm uellem. R. At uide, ut memineris.
S. Vix potero dimidium. R. Etiã hic stas cessator?
Iam redisse oportuit. S. Quis poßit unus tot rebu
obeundis sufficere? Deduco ac reduco. Sum illi à sc
pis, à matula, à pedibus, ac manibus, à poculis, à lu
lis, à rationibus, à iurgijs, à legationibus. Postrem

non ui=

...on uideor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

ALIA.

... Profer ocreas, nam equitandum est. S. En ad... R. Probe quidem abs te curatæ, totæ albent si... Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno, adeo ...gent præ siccitate. Exterge, subuuido pãno. Mox ...nge ad ignem diligenter, ac macera donec molle...ant. S. Curabitur. R. Vbi calcaria? S. Adsunt. R. Verum, sed obducta rubigine. Vbi frenum & ...hippia? S. Sunt in promptu. R. Vide ne quid de...it ne quid ruptũ, aut mox rumpendum, ne quid ...t in mora, cũ erimus in cursu. Propera ad sel... & hoc lorum cura sarciendum. Reuersus in...leas, siue calceos equorum, num qui claui de..., aut uacillent. Quàm macilenti sunt equi, quàmq; ...gosi. Quoties abstergis, aut pectis illos in anno? S. Imò quotidie. R. Nimirũ res ipsa loquitur. Ieiu...ant, opinor nonnunquàm totũ triduũ. S. Minime. R. Negas tu quidẽ, sed aliud dicturi sint equi si loqui ...ceat. Quanquàm satis loquuntur ipsa macie. S. ...ro sedulo. R. Quur igitur tu habitior equis? ...Quia nõ pascor fœno. R. Hoc igitur restat. Ad...a manticam celeriter. S. Fiet.

MONITORIA. PAEDAGO-GVS, PVER.

PAE. Tu

PAE. Tu mihi uidere nõ in aula natus, sed in caula, adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuũ decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiã cui debes honorẽ, compone te in rectũ corporis statum. Aperi caput, uultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudẽs, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia tẽperatus, oculi uerecundi, semper intenti in eũ cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus. Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosæ manus, nec mordeto labrũ, nec scabito caput, nec fodito aures. Vestis item ad decorũ componatur. Vt totus cultus, uultus, gestus, & habitus corporis ingenuã modestiam, & uerecundã indolem præ se ferat. PV. Quid si mediter? PÆ. Fac. PV. Siccine satis? PÆ. Nondũ. PV. Quid si sic? PAE. Propemodũ. PV. Quid si sic? PAE. Hem satis est. Istuc tene. Ne sis inepte loquax, aut præceps. Nec uagetur animus interim, sed sis attentus qd ille dicat. Si quid erit respõdendũ, id facito paucis, ac pudenter, subinde præfatus honorem, nõnunquã & addito cognomento honoris gratia. Atq; identidem modice flectas alterũ genu, præsertim ubi responsum absolueris. Nec abeas, nisi præfatus ueniã, aut ab ipso dimissus. Nunc age specim.. aliquod huius rei nobis præbe. Quãtum tẽporis abfuisti à maternis ædibus? PV. Iam sex fermè mẽses

PAE.

PAE. Addendũ erat, domine. PV. Iam sex fermè menses domine. P. Nõ tangeris desyderio matris? PV. Nõnunquam sanè. P. Cupis eam reuisere? PV. Cupio domine si id pace liceat tua. Pæ. Nunc flecten dum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Cũ loqueris caue ne præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures, sed distincte, clare, articulate cõ suescito proferre uerba tua. Si quem præteribis natu grandem, magistratũ, sacerdotem, doctorẽ, aut alioqui uirum grauẽ, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito, quum præteribis ædẽ sacram, aut imaginẽ crucis. In conuiuio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris quid deceat ætatem tuam. Postremus omniũ admoueto manum patinæ. Si quid datur lautius recusato modestæ, si instabitur, accipe, et age gratias, mox decerpta portiũcula, quod reliquum est illi reddito, aut alicui proxime accumbẽti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precare. Sed ipse bibito modice. Si nõ sitis, tamen admoueto cyathũ labiis. Arride loquentibus, ipse ne quid loquaris nisi rogatus. Si quid obscœni dicatur, ne arride, sed com[illegible] uultum quasi non intelligas. Ne cui obtre[illegible]to, ne cui temet anteponito. Ne tua iactato, ne [illegible]ena despicito. Esto comis etiam erga tenuis for[illegible]unæ sodales. Neminem deferto. Ne sis lingua futi-

li. Ita fiet, ut sine inuidia laudem inuenias & amicos pares. Si uideris conuiuiū esse prolixius, precatus ueniam, ac salutatis conuiuis subducito te à mensa. Vide ut horum memineris. PV. Dabitur opera mi præceptor. Nunquid aliud uis? PAE. Adito nunc libros tuos. PV. Fiet.

DE LVSV. NICOLAVS, HIERONYMVS, COCLES, PAEDAGOGVS.

N. Iam dudum & animus & cœlum, & dies inuitat ad ludendum. H. Inuitant quidem hæc omnia, sed solus præceptor nō inuitat. N. Subornandus orator quispiā, qui ueniam extorqueat. H. Apte quidem dictum extorqueat. Nam citius clauā extorseris e manu Herculis, quàm ab hoc ludendi ueniam. At olim illo nemo fuit ludēdi auidior. N. Verum, sed iam olim ille oblitus est se fuisse puerū. Ad uerbera facillimus est & liberalis, hic parcissimus idemq; difficillimus. H. Attamen protrudendus est aliquis legatus, nō admodum uerecundæ frontis, quem non ilico protelet suis sæuis dictis. N. Eat qui uolet, ego carere malo, quàm rogare. H. Nemo magis accōmodus ad hāc legationem, quàm Cocles. N. Nemo profecto. Nam perfrictæ frontis est, ac bene linguax. Deinde sensum hominis pulchre callet. H. I, Cocles ab omnibus nobis magnam initurus gratiam. C. Equidem experiar

sedulo.

ſedulo. Verũ ſi non ſucceſſerit, ne conſerte culpam in oratorẽ ueſtrũ. H. Bene omĩare, ſi te ſatis nouimus impetrabis. Abi orator, redibis exorator. C. Eo. Bene fortunet legationẽ meã Mercurius. ſalue præceptor. P. Quid ſibi uult nugamentũ hominis? C. Salue præceptor obſeruande. P. Inſidioſa ciuilitas. Satis iam ſalueo. Dic quid tibi uelis. C. Totus diſcipulorũ tuorum grex orat ludendi ueniam. P. Nihil aliud quàm luditis, etiam abſq; uenia. C. Scit tua prudẽtia uigorem ingeniorum excitari moderato luſu, quemadmodum nos docuiſti ex Quintiliano. P. Sanè ut iſtuc te quod pro te facit, laxamento opus eſt ijs, qui uehe[men]ter laborant. Vobis qui ſegniter ſtudetis, & acriter luditis, freno magis opus eſt, quàm laxatis habe[na]is. C. Adnitimur pro uiribus. Et ſi quid hactenus ceſſatum eſt, poſt diligentia ſarcietur. P. Oh ſartores. Quis erit fideiuſſor iſthuc futurum? C. Ego capitis mei periculo non dubitem eſſe ſponſor. P. Imò culi periculo potius. Scio quàm nõ ſit tutum tibi credere. Tamen hic periculum faciam quàm ſis bonæ fidei. Si dederis uerba, poſthac ne quicquã mecum egeris. Ludant, ſed gregatim in campis. Ne diuertãt ad compotationes aut alia nequiora. Mature ſe recipiant domum ante Solis occubitũ. C. Fiet. Exoraui quanquam ægre. H. O lepidum caput. Omnes amamus te plu-

rimum. C. Sed interim cauendū ne quid peccemus: alioqui de meo tergo dependendum foret, fideiussi uestro omniū nomie. Quod si quid accidat, nō est quod me posthac utamini legato. H. Cauebitur. Sed quod lusus genus potißimum placet? C. De hoc in campo consultabimus.

PILA

N. Nulla res melius exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria. Sed aptior hyemi quā æstati. H. Nullū anni tempus nobis parum accōmodū est ad ludendum. N. Minus sudabitur si ludamus reticulo. H. Imò reticulum piscatoribus relinquamus. Elegantius est palma uti. N. Age nihil moror, sed quanti certabimus? H. Talitro, sic parcetur pecuniæ. N. At ego malo frōti parci quàm pecuniæ. H. Et mihi frons charior ē pecunia. Aliquo periculo certandū est, alioqui friget ludus. N. Sic res habet ut dicis. H. Vtra pars prior euicerit tres lusus, ei uicta pendet sextam drachmæ partē. Sed hac lege ut quicquid è uictoriis collectum fuerit, insumatur in conuiuiū ad quod pariter uocentur omnes. N. Placet lex, & rata esto. Superest igitur ut sortiamur partes. Nam sumus fermè pares omnes, ut nō admodum referat quis cui iungatur. H. Tu tamen me longe peritior es. N. Vt sim, sed tu felicior. H. Etiam hic ualet fortuna? N. Illa

nusquam

nuſquam non regnat. H. Age fiat ſortitio. Euge be ne cecidit. Cõtigere quos uolebã. N. Et nos noſtræ ſodalitatis nõ pœnitet. H. Age ſimus uiri. Amat uiꝫ ctoria curã. Suũ quiſq; locũ gnauiter tueatur. Tu mihi conſiſte à tergo, excepturus pilã, ſi me tranſuoꝫ let. Tu iſthic obſerua, repulſurus, huc ab aduerſarijs reuolantẽ. C. Ne muſca quidem hac præteruolaue rit impune. H. Agite bonis auibus, mittite pilam in tectum. Qui miſerit, nihil præfatus, fruſtra miſerit. N. Hem, accipe igitur. H. Mittito. Si miſeris extra lineas, aut infra ſupráue tectum, ueſtro dãno fuerit, aut certe nobis fraudi eſſe nolim. Tu ſanè parũ com mode mittis. N. Tibi quidem, at nobis cõmode. H. Vt miſeris ita remittam. Par pari referã. Sed præſtat ingenue legitimeq; ludere. N. In ludo pulchrũ eſt arte uincere. H. Fateor, atq; etiã in bello. Sed habet utraq; res ſuas leges. Et ſunt artes illiberales. N. Credo plures ſeptem. Signa terminũ teſtula, aut ru dere, aut ſi mauis pileo tuo. H. Tuo malim. N. Rur ſus excipe pilã. H. Mitte. Pone notam. N. Habeꝫ mus duos terminos ſatis longinquos. H. Vtcunq;, ſed tamen uincibiles. N. Planè uincibiles, ſi nemo repugnet. H. Euge priorem metam prætercurriꝫ mus. Vicimus quindecim. Heus præbete uos uiros, uiceramus, & hic, ſi tu tuo conſtitiſſes loco. Sumus

igitur pares. N. Non diu futuri. Vicimus triginta, uicimus quadragintaquinq;. H. Sestertia? N. Non. H. Quid igitur? N. Numeros. Quò pertinent numeri, si nihil est quod numeres? Noster hic ludus est. H. Præpropere tu quidem. Ante uictoriam canis triumphũ. Vidi qui uincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est ut Martis ita lusus alea. Habemus triginta. Iam rursum pares sumus. N. Nunc seria res agitur. H. Euge succeßit, habemus potiores nõ diu habituri. Dixin? Rursum æquali fortuna sumus. N. Diu nutat fortuna, uelut anceps, utris uelit addicere uictoriã. O fors fortuna si nobis faueris, dabimus tibi maritum. Euge audiuit uotum. Penes nos est huius certaminis uictoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. Iam appetit uespera, & sudatũ est satis, præstat à ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum. N. Nos euicimus tres drachmas, uos duas. Restat igitur una ad cõpotatiunculã. Sed interim quis soluet preciũ pilarũ? Omnes ex æquo pro sua quisq; portione. Nã lucrum exilius est, quàm ut inde poßit aliquid decidi.

LVDVS GLOBORVM MISSILIVM, ADOLPHVS, BERNARDVS.

A. Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendã esse ar=

esse artificem in certamine mittendorũ globorum. Age libet experiri, qui uir sies. B. Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu planè quod dici solet, in planiciem prouocas equum. A. Et tu me senties nõ esse asinũ. B. Placet ne monomachia, ut unus cũ uno congrediatur, an mauis adiungi socios periculi? A. Malo μονομαχεῖν, ne qua pars uictoriæ decidatur alteri. B. Istuc & ipse malo, ut laus in solidũ sit mea. Hi spectatores erunt & arbitri. A. Recipio. B. Sed quod erit uictori brauium, aut uicto pœna? A. Quid si uicto amputetur auricula? B. Imò testiũ alter execetur potius. Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus. Decertemus pro suæ uterq; gentis gloria. Si uicero, ter exclamabis, Floreat Gallia. Si uictus, quod absit, fuero, totidem uerbis celebrabo tuã Germaniã. A. Age placet cõditio. B. Adsit fortuna. Quãdo periclitãtur hoc ludo, duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. A. Nosti saxum illud prominens haud procul à porta? B. Noui. A. Ea erit meta, & hæc linea. B. Esto, sed sint inquàm pares globi. A. Minus discernas ouum ab ouo, aut ficum à ficu. Sed mea non refert, utrum malis elige. B. Mitte. A. Heu tu mihi non brachium, sed balistam habere uideris. B. Ita torques globum? A. Satis momordisti

 labrũ,

labrum, ſatis rotaſti brachiũ. Tandem mitte. O uires Herculeas, ſed tamẽ uinco. B. Niſi ſceleratus ille la terculus obſtitiſſet, præuerteram te. A. Conſiſte in ſphæræ tuæ ueſtigio. B. Non utar dolo malo. Cupio uirtute, nõ fraude uincere, quãdoq̃dem de gloria certamen eſt. Bene uertat. A. Ingens profecto iactus. B. Ne ride priusq̃ uiceris. Adhuc penè ſumus pares. A. Nũc res agitur. Vter prior metã cõtigerit, is uicerit. B. Vici. Canta. A. Sed definiendũ erat, quoto ludo cõſtaret uictoria. Nã primo nondũ incaluerũt uires. B. Definiant arbitri. AR. Tertio. B. Placet. A. Quid ais? Agnoſcis ne uictorem? B. Tibi fortuna magis aſpirauit. Viribus & arte nõ tibi ceſſero. Sed quod arbitri pronunciauerint, id ſequar. AR. Germanus uicit, & hoc glorioſior eſt uictoria, quod talẽ artificem uicerit. A. Nũc canta Galle. B. Sum raucus. A. Hoc Gallis nouũ non eſt, ſed tamen coccyſſa. B. Floreat Germania ter. A. Imò ter hoc erat canendũ. B. Contraximus ſiticulam, eamus ad compotatiunculam. Ibi perficietur cantio. A. Non recuſo, ſi ita uidetur arbitris. AR. Ita commodius eſt. Melius canet Gallus colluto gutture.

LVDVS SPHAERAE PER ANVLVM FERREVM, GASPAR, ERASMIVS.

G. Age,

G· Age, nos auſpicabimur· Victo ſuccedet Marcolphus· E·Sed quod erit uictori præmiũ? G·Victus ex tẽpore faciet ac recitabit diſtichon in laudem uictoris. E.Accipio legẽ· G·Vis ne ſortiamur, uter prior incipiat? E.Eſto tu prior, ſi libet, ego malim eſſe Abbas· G·Hoc tua cõditio potior eſt, quod tibi nota eſt area· E·Verſaris in tua harena· G.In hac exercitatior ſum, quàm in libris· Tamen iſtud perquam exigui momenti eſt· E· Equũ eſt, ut tantus artifex in hoc certamine mihi largiare nonnihil· G· Imò iſtuc abs te peterem iuſtius, ſed parũ eſt honeſta precaria uictoria·Is demũ uincit, qui ſuo Marte uincit· Ita ſumus pares, ut non melius cõmiſſus fuerit olim cum Bitho Bachius· E·Tua ſphæra cõmodior eſt mea· G·Et tua uola uincit meã· E·Ludito legitime abſq; technis, ac dolo malo. G·Dices tibi rem eſſe cum homine probo· E· Sed prius audire cupio huius ſphæriſterij plebiſcita. G·Quaternio ludum abſoluit, qui hãc lineã præterierit, in dãno eſt·Reliquos limites ſi trãſilias, ſine fraude fiet·Qui globum ſuo loco mouerit, perdit ius feriendi· E.Intelligo· G· En, occluſi tibi portã· E·Sed iſthinc te excutiã· G·Id ſi feceris, cedã tibi huius certaminis palmã· E· Bona fide? G·Optima·Non enim potes alia uia, niſi ſic mittas ſphærã tuã in parietem, ut reſiliat in meã.

E. Id experiar. Quid ais bone uir? Nonne depulsus es? G. Fateor, utinã tam sapiens esses, quàm es felix. Sed istuc cẽties tentãti, uix semel successerit. E. Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoque experimento successerit uinces. Sed interim redde pactum præmiũ. G. Quod nam? E. Distichon. G. Reddã. E. Et qdem ex tẽpore. Quid arrodis ungue? G. Habeo. E. Recita clare. G. Clarißime. Plaudite uictori iuuenes hic quotquot adestis. Nam me q̃ uicit doctior est nebulo. Nõne distichon habes. E. Habeo, sed quale abs te allatũ ẽ, tale tibi referetur

SALTVS. VINCENTIVS, LAVRENTIVS.

V. Libet ne decertare saltu? L. Ludus iste non conuenit pransis. V. Quam ob rem. L. Quia uentris suburra grauat corpus. V. Non admodum sanè qui pransi sint in pædagogio. Nam ij plerumq; cœnaturiunt, priusquàm absoluerint prandiũ. L. Quod igitur saliendi genus placet? V. Auspicemur ab eo qđ est simplicißimũ. A saltu locustarũ, siue mauis ranarum. Vtraq; tibia, sed iunctis pedibus. Qui longissime promouerit cingulũ, coronã feret. Huius ubi erit satietas, aliud atq; aliud genus experiemur. L. Equidem nullũ recusabo genus, nisi quod geritur cũ periculo tibiarũ. Nolim mihi rem esse cũ chirurgis.

V. Quid

V. Quid si certemus unica tibia. L. Iste ludus est Empusæ. Valeat. V. Hastæ innixum salire cũ primis est elegans. L. Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit & Aeneas. V. Verum sed idem proposuit, & cestuum certamen, quo nõ delector. L. Designa stadium. Hoc loco sit carcer. Quercus ista sit meta. V. Sed utinã adesset Aeneas, qui proponat & præmia uictori. L. Victori abũde magnũ præmiũ est gloria. V. Victo potius dandũ erat præmiũ, solatij gratia. L. Sit igitur uicto præmiũ, ut lappa coronatus redeat in urbem. V. Equidẽ non recusarim, si tu præcedas tibia canens. L. Est ingens æstus. V. Nec mirum quum sit solstitium æstiuum. L. Præstiterat natare. V. Mihi non placet ranarum uita. Animal sum terrestre, non amphibion. L. Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cum primis habebatur liberale. V. Imò etiam utile. L. Ad quid? V. Si fugiendum sit in bello, ibi potißimum ualent qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. L. Artem narras haud quaquàm aspernandam. Neq; enim minus laudis est aliquando bene fugere, quàm fortiter pugnare. V. Sum planè rudis & imperitus natandi. Nec sine periculo uersamur in alieno elemento. L. Sed assuescere oportet. Nemo nascitur artifex.

V. At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed nõ enatasse. L. Experieris primũ innixus suberi. V. Nec suberi fido magis q̃ pedibus. Si uobis cordi est natatio, spectator esse malo, quàm certator.

CONFABVLATIO PIA.

ERASMIVS, GASPAR.

E. Vnde nobis prodis? è popina quapiam? G. Bona uerba. E. E sphæristerio? G. Ne hoc quidem. E. Ex œnopolio? G. Nequaquã. E. Quãdo nõ assequor diuinãdo, dic ipse. G. Ex æde uirgini matri sacra. E. Quid illic tibi negocij est? G. Salutem dixi nõnullis. E. Quibus? G. Christo ac diuis aliquot. E. Religiosior tu quidẽ es, quàm pro ætate. G. Imò nullã ætatẽ nõ decet religio. E. Si cupiam esse religiosus, patiar mihi iniici cucullã. G. Atq; ego idem facerem, si quantũ caloris adfert, tãtundem pietatis adferret cuculla. E. Aiunt uulgo pueros angelicos, in satanam uerti ubi consenuerint. G. Sed ego prouerbiũ istuc ab autore satana natũ arbitror. Imò uix existimo senem esse uere pium, nisi qui à teneris annis assueuerit. Nihil fœlicius discitur, q̃ quod ab ipsa statim pueritia discitur. E. Quid igitur est religio? G. Est purus cultus numinis, & obseruatio præceptorum illius. E. Quæ sunt illa? G. Longũ est, sed ut in summa dicam, in rebus quattuor est sita. E.

In quibus?

In quibus? G. Primũ ut recte pieq; sentiamus de deo, de scripturis diuinis, atq; ut illũ non uereamur modo ut dominũ, uerumetiã amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentißimũ. Secundũ, ut summa cura tueamur innocentia. Ea est, ne quem lædamus. Tertium ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus quantũ datur, bene mereamur. Quartum, ut seruemus patientiã. Ea præstat ut mala nobis illata si mederi nequeamus, patienter toleremus, nõ ulciscẽtes, nec malũ malo referentes. E. Næ tu probus esses cõcionator. Sed præstas ista quæ doces? G. Equidem adnitor pro mea uirili. E. Qui potes pro uirili quũ sis puer? G. Meditor pro uiribus. Et quotidie mecũ ineo rationẽ, si quid cessatũ fuerit corrigo. Illud præter decorum, hoc dictũ petulantius, hoc factum incircumspectius, hoc tacere præstiterat, illud omissum. E. Quando subducitur ista ratio? G. Fermè sub noctem, aut si quando magis uacat. E. Sed age dic mihi, quibus studijs totũ transigis diem? G. Nihil cælabo tam fidum sodalem. Mane simul atq; sum expergefactus, id ferè fit ad sextam aut quintã, pollice signũ crucis pingo in fronte & in pectore. E. Quid deinde? G. Auspicor initium diei in nomine patris, filij, & spiritus sancti. E. Pie sanè. G. Mox paucis saluto Christũ. E. Quid illi narras? G. Ago gratias, qđ

ſtias, quod eam noctem mihi uoluerit eſſe proſperam,
præcorq́; ut diem itidē illū totū mihi bene fortunet,
ipſius gloriā & animæ meæ ſalutē. Vtq́; is qui eſt u
ra lux, occaſū neſciēs, ſol æternus, omnia uiuificar
alens, & exhilarās dignetur illuceſcere menti meæ
ne uſquàm impingā in ullum peccatū, ſed ipſius d
ctu perueniam ad uitam æternam. E. Haud inau
catum diei exordiū. G. Deinde ſalutatis parētibus
quibus ſecundum deum primā debeo pietatem, c
tempus eſt, cōfero me ad ludum literarium, ſed ut p
templum ſi commodum eſt, ſit mihi tranſitus.
Quid illic? G. Rurſus tribus uerbis ſaluto Ieſum
diuos diuasq́; omnes, ſed nominatim uirginem n
trem, tum eos quos habeo mihi peculiares. E. N
tu mihi probe legiſſe uideris illud Catonis. Saluta l
benter. Non ſat erat mane ſalutaſſe, niſi mox dem
ſalutares? An non uereris ne moleſtus ſis immodico
officio? G. Amat ille ſubinde appellari. E. Sed in
eptum uidetur alloqui quem non uides. G. Nec ea
mei partē uideo qua illi loquor. E. Qua. G. An
mo. E. Sed ocioſum eſt ſalutare nō reſalutantē.
Reſalutat frequenter arcano afflatu. E. Quid h
ab illo flagitas? Nam uideo tuas ſalutationes eſſe
taces, cuiuſmodi ferè ſunt mendicorum. G. Sa
procul aberras à ſcopo. Precor enim, ut qui
di

duodecim annos natus, sedit in templo docens ipsos
…tores, cuiq; pater cœlitus emissa uoce dedit auto
…atem docendi mortalium genus, quum diceret.
…est filius meus dilectus, in quo mihi complacitũ
…ipsum audite, quiq; est æterna sapientia summi pa
…illustrare dignetur ingeniũ meum ad perdiscen-
…honestas literas, quibus utar ad ipsius gloriam.
…Quos autem habes diuos tibi peculiares? G.
…apostolis Paulum, ex martyribus Cyprianum, ex
…ctoribus Hieronymum, è uirginibus Agnetem.
…Quæ res istos tibi conciliauit? electio, an casus?
Sortito obuenerunt. E. Atq; istos nihil aliud
…m salutas? An ab eis quoq; mendicas aliquid?
Precor ut me suis suffragijs Christo commẽdent,
…ciantq; ut aliquando contingat in illorum uenire
…ntubernium. E. Sanè rem non uulgarem petis.
Quid tum postea? G. Ad ludum propero, & quod
… locus postulat, toto ago pectore. Sic enim implo
… Christi præsidiũ, quasi citra illius opem nihil ef-
…iat nostrum studium, sic studeo, quasi ille nihil au-
… sit laturus, nisi gnauiter laboranti. Ac modis
…mnibus do operam, ne merito uapulem, ne quid di-
… factóue, uel præceptorem offendam, uel sodales.
… E. Probus es quum ista cogitas. G. Cum
…ssus à ludo domum propero, rursus si licet, per

ædem

ædem sacrã iter facio. Rursusq; tribus uerbis saluto Iesum. Si quid est obsequij præstandum parentibus obeo. Quod si quid etiã superest temporis, mecum aut cũ sodali repeto, quod prælectum est in schola. E. Næ tu perparcus es temporis. G. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multo preciosissimæ ita irrecuperabilis. E. At Hesiodus docet in medio parcendũ esse, in principio præproperã, in fine seram esse parsimoniam. G. Recte Hesiodus de uino, sed ætatis nulla est intempestiua parsimonia. Doliũ si sinas, nõ exhauritur. At ætas nunquã non defluit, siue dormias, siue uigiles. E. Fateor, sed quid deinde rei geritur? G. Adornata parentibus mensa, recito consecrationẽ, deinde prandentibus ministro, donec iubeor & ipse prandium sumere. Actis gratijs, si quid uacat, lusu quopiã honesto laxo animũ cum sodalibus, donec hora reuocat in ludum à lusu. E. Ac rursum salutatur Iesus. G. Salutatur, si commodũ est. Sin est, quur aut nõ uacet, aut non sit tempestiuũ, tamẽ præteriens templum, cogitatiũcula saluto. Rursus in ludo totis uiribus hoc agitur, quod locus postulat. Domũ reuersus, idem ago quod ante prandiũ. A cœna, suauibus fabulis memet oblecto, mox prosperã noctem precatus parẽtibus ac familiæ, mature me confero ad nidũ. Illic flexis ante lectũ genubus, mecũ, ut dixi, repu

quibu

quibus studijs is dies peractus sit. Si quid est grauioris admißi, Christi clementiam imploro, ut ignoscat, polliceorq; meliora. Si nihil est, ago gratias illius beneficẽtiæ, quod me seruarit ab omni uicio. Deinde me totum illi toto pectore commendo, cæterisq; diuis, ut me protegant ab insidijs mali genij, & ab obscœnis somnijs. His factis lectum ingreßus, frontẽ ac pectus signo crucis imagine, ac me cõpono ad somnum. E. Quo pacto te componis? G. Nec pronus cubo, nec supinus, sed primũ lateri dextro innitens, brachijs ita trãsuersim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, leua dextro. Ita dormio suauiter, donec aut expergiscar ipse, aut exciter. E. Sanctulus es, qui ista poßis. G. Imò stultulus es qui ista dicas. E. Laudo institutũ, si queam aßequi. G. Velis tantummodo. Nã ubi assueueris paucùlos menses, erunt hæc etiam suauia, adeo uertentur in naturã. E. Sed nihil audio de sacris. G. Nec hac parte mihi desum diebus festis. E. In his quomodo te geris? G. Primũ omnium excutio meipsum, num qua labe peccati sit animus contaminatus. E. Id si comperias quid tũ, subducis te ab altari? G. Nequaquã corpore, sed animo me submoueo, ac ueluti procul stans, nec audens tollere oculos ad patrẽ deum quem offendi, tundo pectus meũ, dicens illud ex Euangelio cum

 publicano

publicano, Domine propicius esto mihi peccatori. Deinde si sensero quempiam offensum à me, eũ curo placandum è uestigio si licet, siñ minus, statuo in animo mihi quum primũ licebit reconciliare proximũ. Si quis offendit me, remitto uindictam, doq́; operam, ut qui læsit, agnoscat errorem suũ & resipiscat. Sin eius rei nulla spes est, uindictã omnem deo relinquo. E. Isthuc durum est. G. An hoc durum condonare leuem noxiam fratri tuo, cuius ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus, cum Christus omnia commissa nostra nobis semel condonarit, & quotidie condonat. Imò mihi uidetur hæc nõ esse liberalitas in proximũ, sed fœneratio apud deũ, perinde quasi conseruus ex pacto remittat conseruo tres drachmas, ut ipsi dominus condonet talenta decem. E. Pulchre tu quidem philosopharis, si modo certum sit quod ais. G. An postulas aliquid certius Euangelica cautione? E. Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse Christianos, nisi quotidie, missam, ut appellant, audierint. G. Horum institutum equidem non damno, præsertim in his qui abundant ocio, quíue totos dies occupantur prophanis negocijs. Tantũ illos non approbo, q̃ superstitiose sibi persuaserunt eum diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspicati à missa. Et statim à sacro se cõferunt uel ad negociationem, uel ad prædam, uel

dam,uel ad aulam, ubi si quod per fas nefasq; gerunt, successerit,missæ imputant. E. Sunt ne qui sic desipiant? G. Magna pars hominum. E. Sed redi ad sacrum. G. Si licet, adsto uicinus altari sacro, quò percipere queam ea quæ sacrificus recitat, præsertim Epistolam & Euãgelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod infigam animo meo. Id mecũ aliquandiu rumino. E. Nihil interim oras? G. Oro, sed cogitatione magis quàm strepitu labiorum. Ex his quæ recitat sacerdos arripio precandi occasionem. E. Dic istud explanatius, nam non satis assequor quid uelis. G. Dicam. Finge recitari epistolã, Expurgate uetus fermentũ, ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Ad hæc uerba sic mecũ loquor Christo. Vtinam uere sim azymus purus ab omni fermento maliciæ. Sed tu domine Iesu, qui solus es ab omni malicia purus ac syncerus, largire, ut indies & ipse magis ac magis expurgem uetus fermentum. Rursum si forte legatur Euangelium de seminante semen suum, sic oro mecum, felix ille, qui meretur esse terra bona, precorq;, ut me ex terra parũ frugifera, sua benignitate faciat terram bonam, sine cuius beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causa dicta. Nã singula persequi prolixum sit. Sed si cõtingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non

 detur

detur adeſſe propius altari, ferè libellũ paro, in quo deſcriptum ſit eius diei Euangelium & epiſtola, inde ipſe aut pronuncio, aut oculis lego. E. Intelligo, ſed quibus cogitationibus potiſſimum traſmittis hoc tempus? G. Ago gratias Ieſu Chriſto pro ineffabili charitate, quod genus humanum ſua morte redimere dignatus eſt, & oro ne patiatur ſuũ ſacroſanctũ ſanguinem pro me fruſtra fuſum eſſe, ſed ſuo corpore ſemper paſcat animũ meum, ſuo ſanguine uiuificet ſpiritum meum, ut paulatim adoleſcens uirtutum auctibus efficiar idoneũ membrũ corporis illius myſtici, quod eſt eccleſia, nec unquã deficiam ab illo ſanctiſſimo fœdere, quod in extrema cœna diſtributo pane, & porrecto poculo pepegit cum diſcipulis ſuis electis, & per hos cũ omnibus, qui per baptiſmum in ſocietatem illius inſiti ſunt. Quod ſi ſenſero uagari cogitationẽ, lego Pſalmos aliquot, aut aliud quippiã pium, quod animum ab euagando cohibeat. E. Habes in hoc pſalmos certos? G. Habeo, ſed quos non ita mihi ipſi indixi, quin omittam, ſi cogitatio quæpiã incidat, quæ magis reficiat animum meum, quàm illa Pſalmorum recitatio. E. Quid de ieiunando? G. Cum ieiunio mihi nihil eſt negocij. Sic enim me docuit Hieronymus, nõ eſſe ualetudinẽ atterendam ieiunijs, donec corpus ætate robur iuſtũ collegerit. Nondum autem egreſſus

ſum

ſum annum decimum ſeptimum. Sed tamen ſi ſenſero opus, prandeo cœnoq́; parcius, quo me præbeam ala criorẽ ſtudijs pietatis ꝑ diẽ feſtũ. E. Poſteaquã cœpi ſemel, expiſcabor omnia. Quomodo affectus es erga cõciones? G. Optime. Ad has non minus religioſe accedo, quàm ad ſacrã ſynaxim. Et tamẽ deligo quos audiã. Sunt enim quos præſtat non audiſſe. Quod ſi talis cõtingit, aut ſi nemo contingit, tẽpus hoc trãſi= go ſacra lectione, lego Euãgelium, & Epiſtolã cum interpretatione Chryſoſtomi, aut Hieronymi, aut ſi quis alius occurrit pius ac doctus interpres. E. Sed magis efficit uiua uox. G. Fateor, & audire malo, ſi detur concionator tolerabilis. Sed non uideor omni= no caruiſſe concione, ſi Chryſoſtomum aut Hierony mum ſcripto loquentẽ audiero. E. Nõ opinor. Sed quid te delectat cõfeßio? G. Magnopere. Nã confi= teor quotidie. E. Quotidie? G. Sic eſt. E. Alen= dus eſt igitur tibi proprie ſacerdos. G. Sed illi cõfi= teor, qui ſolus remittit peccata, cui eſt poteſtas uni= uerſa. E. Cui nam? G. Chriſto. E. An iſtud ſat eſſe putes? G. Mihi ſat eſſet, ſi ſat eſſet proceribus eccle= ſiæ, & cõſuetudini receptæ. Sed hæc eſt certe præci= pua cõfeßio. Nec eſt facile cõfiteri Chriſto. Non con fitetur illi, niſi qui ex animo iraſcitur ſuo peccato. Apud illũ expono deploroq́; ſi quid admiſi grauius,

clamo, lachrymo, ploro, meipsum execror, illius im ploro misericordiã, nec finẽ facio, donec sensero pec cãdi affectũ penitus expurgatũ, è medullis animi, & succedere tranquillitatẽ aliquã & alacritatẽ, condo nati criminis argumentũ. Atq; ubi tempus inuitat, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis Dominici, Cõfiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea, quæ certo uidentur crimina, aut eiusmodi, ut uehemẽs suspicio sit crimen esse. Neq; uero protinus arbitror esse piaculũ quod admittitur aduersus cõsti tutiões humanas, nisi cõtemptus accesserit malicio sus, Imò uix arbitror crimen capitale, cui non sit ad iuncta malicia, hoc est, peruersa uolũtas. E. Laudo qđ sic es religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoq; puto locũ esse prouerbio. G. Nec omnia, nec paßim, nec qbuslibet. Deligo mihi sacerdotẽ, cui credã arcana pectoris. E. Istuc est sapere. Sũt enim permulti, quod cõpertũ est, qui quod accipiũt in con feßionibus effutiũt. Sũt improbi quidã & impruden tes, qui percontãtur à confitente, quæ præstiterat ta cuisse. Sunt indocti & stolidi, qui ob sordidũ quæstũ, præbent aurem uerius, quàm animũ, quum nec diju dicent inter noxiam & recte factũ, nec docere pos sint, nec cõsolari, nec consulere. E. Hæc sic habere frequẽter audiui ex multis, & ipse partim expertus sum. G.

sum. G. Et ego nimiũ. Proinde deligo mihi uirũ nõ indoctũ, grauem, spectatæ integritatis, linguæ continentis. E. Profecto felix es, qui ista mature sapere cœperis. G. Deniq; illa mihi prima curarum est, ne quid committã, quod cum periculo credã sacerdoti. E. Nihil melius, si quidem possis cauere. G. Nobis quidẽ difficillimũ est, sed auxiliãte Christo facile est. Primum est, ut adsit bona uoluntas. Eã mihi subinde renouo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco meipsum pro uiribus ab improborũ cõsortio, & sodalibus integerrimis me adiungo, quorũ conuictu fiam melior. E. Recte tibi cõsulis. Corrũpunt enim mores bonos colloquia praua. G. Ociũ ceu pestem quandã fugio. E. Nec mirũ, nã nihil malorum non docet ociũ. Sed ut nunc sunt hominũ mores, solus uiuat oportet, qui uelit abesse à malorũ cõsortio. G. Nõ omnino uanũ est quod dicis. Plures enim mali, ut Græcus ille sapiens dixit. Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis, nonnunquã sodalem reddit meliorẽ. Vito lusus, qui prouocãt ad nequitiã, utor innoxijs. Comem me præbeo omnibus. Sed familiarẽ non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blande monendo, aut dissimulo tolero-q;, si uideor non profecturus, certe quum primum licet memet ab illis suffuror. E. Nunquàm ne titilla

 uit ani-

uit animũ tuum libido capiundæ cucullæ? G·Nunquam, ſed crebro ſollicitatus ſum à quibuſdã ab hoc ſeculo uelut à naufragio, ad portũ monaſteriorũ uocantium. E·Quid ego audio. Captabãt prædam? G·Miris technis adorti ſunt & me & parẽtes. Sed mihi ſtat ſententia, nõ addicere me uel matrimonio, uel ſacerdotio, uel inſtituto monachali, aut ulli uitæ generi, unde poſt me non queam extricare, priuſquã mihi fuero pulchre notus. E·Quando iſthuc erit? G·Fortaſſe nunquã. Sed ante annum uigeſimũ octauum nihil ſtatuetur. E·Cur ita? G·Quia audio paſſim tã multos ſacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quod ſeſe temere præcipitarint in ſeruitutem. E·Cautus es, qui capi nolis. G·Interim tria mihi curæ ſunt. E·Quæ nã iſta? G·Vt proficiã, in probitate morũ. Dein ſi id nequeã, certe tuear illibatam innocentiã ac famã. Poſtremo paro mihi bonas literas ac diſciplinas, in quouis uitæ genere futuras uſui. E·Sed interim à poëtis abſtines. G.Nõ in totũ. Sed caſtiſſimos quosq; potiſſimũ lego. Quod ſi qd inciderit parũ uerecundũ, prætercurro, quemadmodũ Vlyſſes obturatis auribus Sirenas prænauigauit. E·Sed cui interim ſtudiorũ generi te potiſſimũ addicis? medicinæ, iuri Cæſareo aut põtificio, an Theologiæ? Nam linguæ, bonæ literæ, philoſophia pariter

riter conducunt ad omnẽ profeßionem. G. Nondũ ulli me plane addixi, ſed ex omnibus guſtũ aliquẽ capio, ne cuiuſquã planè ſim rudis, utq́; deguſtatis ſingulis, certius eligã, cui ſim accommodus. Medicina ubiuis terrarũ certißimũ uiaticum eſt. Iuris prudentia uiam aperit ad dignitates. Theologia mihi cum primis placeret, niſi me mores quorundã, & moroſæ inter ipſos cõtentiones offenderent. E. Non facile labitur, qui ſic pedetentim incedit. Cõplures abſtinent à Theologia, quod uereantur ne uacillent in fide catholica, quum uideãt nihil nõ uocari in quæſtionem. G. Ego quod lego in ſacris literis, & in ſymbolo quod dicitur apoſtolorũ, ſumma fiducia credo, nec ultra ſcrutor. Cætera permitto Theologis diſputanda, ac definienda ſi uelint. Si quid tamen receptũ eſt uſu populi Chriſtiani, quod non planè pugnet cũ ſacris literis, hactenus ſeruo, ne cuiquã ſim offendiculo. E. Quis Thales te docuit iſtam philoſophiã? G. Fuit mihi admodum puero conſuetudo domeſtica cũ integerrimo uiro Ioanne Coleto. Noſtin' hominem? E. Quid ni? Tanquã te. G. Is eã ætatem huiuſmodi præceptiunculis imbuit. E. Non inuidebis, ſi me præbeã æmulum inſtituti tui. G. Imò iſtoc nomine mihi futurus es multo charior. Scis enim ſimilitudine morum conglutinari familiaritatem ac be-

 neuolentiam.

neuolentiam. E. Verum, sed nõ inter competitores eiusdem magistratus, quum simili laborent morbo. G. Nec inter eiusdem sponsæ procos, quum pariter laborent amore. E. Sed extra iocum experiar imitari rationem istam. G. Precor ut tibi uertat quàm optime. E. Fortaßis aßequar te. G. Vtinam & præcurras. Sed interim non opperiar te. Quin ipse quotidie meipsum superare contendo. Sed tamen adnitere si potes, ut anteuertas.

Adagi:

VENATIO. PAVLVS, THOMAS, VINCENTIVS, LAVRENTIVS, BARTHOLVS.

P. Trahit sua quenq; uoluptas. Mihi placet uenatio. Tho. Placet & mihi, sed ubi canes, ubi uenabula, ubi casses? P. Valeãt apri, ursi, cerui, & uulpes, nos insidiabimur cuniculis. V. At ego laqueos iniiciam locustis. Insidiabor gryllis. L. Ego ranas captabo. B. Ego papiliones uenabor. B. Difficile est sectari uolãtia. B. Difficile, sed pulchrũ, nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos aut cochleas, quia carẽt alis. L. Equidem malo insidiari piscibus. est mihi hamus elegãs. B. Sed unde parabis escã? L. Lumbricorũ ubiq; magna est copia. B. Est si tibi uelint prorepere è terra. L. At ego mox efficiã, ut multæ myriades prosiliãt. B. Quo pacto, incãtamentis? L. Videbis artem.

ṽrtem. Imple hanc ſitulã aqua. Hos iuglandiũ ſummos cortices uirentes confractos immittito. Hac aqua perfunde ſolũ. Nunc obſerua pauliſper. Vides emergentes? B. Rem prodigioſam uideo. Sic olim, opinor, exiliebãt armati, ex ſatis ſerpentis dentibus. Sed pleriq; piſces, delicatioris & elegantioris ſunt ſunt palati, quàm ut eſca tam uulgari capiantur. L. Noui quoddã inſecti genus, quos talibus inſidiari ſoleo. B. Tu uide, an poßis imponere piſcibus, ego ranis faceſſam negociũ. L. Quomodo, Reti? B. Nõ, ſed arcu. L. Nouũ piſcandi genus. B. At nõ iniucundũ. Videbis & fateberis. V. Quid ſi nos duo micemus digitis? P. Ignauũ eſt ac ruſticũ luſus genus. Ad focũ deſidentibus magis cõuenit, quàm in campo uerſantibus. V. Quid ſi certemus nucibus? P. Nuces admodũ pueris relinquamus. Nos grandiuſculi ſumus. V. Et tamẽ nihil aliud adhuc, quàm pueri ſumus. P. Sed qbus decorũ eſt ludere nucibus, ijſdem nõ indecorũ eſt equitare in arũdine longa. V. Tu igitur præſcribito luſus genus. Sequar quocũq; uocaris. P. Et ego futurus ſum omniũ horarũ homo.

EVNTES IN LVDVM. SYLVIVS, IOANNES.

Syluius. Cur adeo curris Ioannes? Io. Cur lupus, ut aiunt, pro carnibus? S. Quid hoc prouerbij eſt. Io. Quia

Io. Quia nisi adfuero in tēpore, ante recitatū catalogum, actū est de pelle mea. S. Hac quidem ex parte nihil est periculi. Modo præterita est quinta. Inspice horologiū, manus nondū attigit punctū, quod horā ab hora æquis spacijs dirimit. Ioan. At ego uix habeo fidem horologijs. Mentiūtur nōnunquā. S. At mihi fide, qui cāpanæ uocem audiui. Io. Quid loquebatur? S. Horā esse quintā. Ioan. Sed est & aliud, unde magis etiā timeā. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut poßim. S. Cōmune periculū narras. Nā & ipse uix satis teneo. Ioan. Et nosti præceptoris sæuitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nec magis parcit nostris natibus, quàm si coriū esset bubulū. S. Verū is non aderit in ludo. Io. Quem igitur uicarium constituit? S. Corneliū. Io. Strabum illū. Væ nostris natibus. Is uel Orbilio plagosior est. S. Verum dicis, & ideo nō raro sum illius brachio precatus paralysim. Io. Non est piū imprecari præceptori. Nobis potius cauendum ne incidamus in illius tyrāni manus. S. Reddamus inter nos uicißim, altero recitante, altero codicem inspiciente. Io. Pulchre mones. S. Fac præsenti sis animo. Nā metus officit memoriæ. Io. Facile deponerē pauorē, si nō adesset periculū. At in tāto discrimine quis posset esse securus animo? S. Fa

tcor,

teor, ſed tamē nō agitur de capite, ſed parte diuerſa.

ALIA. CORNELIVS, ANDREAS.

C. Scite tu quidē pingis, ſed charta tua perfluit. Charta ſubhumida eſt, ac trāſmittit atramentū. A. Quæſo ut appares mihi pennā hanc. C. Deeſt mihi gladiolus ſcriptorius. A. En tibi. C. Hui quàm eſt obtuſus. A. Accipe coticulā. C. Vtrum amas ſcribere cuſpide duriuſcula an molliore? A. Attempera ad manum tuā. C. Ego molliore ſoleo. A. Quæſo ut mihi deſcribas ordine figuras elementorū. C. Græcas an Latinas? A. Latinas primum, conabor imitari. C. Suppedita chartā. A. Accipe. C. Sed meum atramentum dilutius eſt, ſubinde infuſa aqua. A. At meum linteolum prorſus exaruit. C. Immunge, niſi mauis immeiere. A. Imò potius rogabo alicunde. C. Præſtat habere domi, quàm rogare cōmodato. A. Quid eſt ſcholaſticus abſq; calamo & atramento? C. Quod miles abſq; clypeo & gladio. A. Vtinam mihi eſſent articuli tam celeres. Equidem nō poſſum dictātis uocem ſcribendo aſſequi. C. Prima cura ſit ut bene ſcribas, proxima, ut celeriter, ſat cito, ſi ſat bene. A. Belle, ſed iſtā cantionem cane præceptori, quum dictat. Sat cito, ſi ſat bene.

AGENDI GRATIAS, FOR.

Petrus. Gratum mihi feciſti, quod aliquoties ad me ſcripſeris.

ſcripſeris. Habeo gratiã, quod ad me crebrius ſcri-pſiſti. Amo te,quod interdum ad me literas dare nõ dedignatus es. Habeo gratiam, quod crebris literis me uiſeris. Ago tibi gratias, qui literarũ faſciculis nos oneraris. Maxima tibi à me habetur gratia,qui nos aliquãdo literis laceßiueris. Pergratum mihi fe ciſti, quod nos dignatus ſis tuis literis. Debeo tibi pro tuis humanißimis ad me literis. Magni beneficij loco duco,quod non es grauatus ad me ſcribere.

RESPONSIO.

Chriſtianus. Imò meũ eſt deprecari culpam impuden tiæ,qui nõ ueritus ſim tibi homini, tũ occupatißimo; tum doctißimo, meis illiteratis literis obſtrepere. Agnoſco ſolitã tuã humanitatẽ,qui meã audaciã bo ni cõſulueris. Verebar ne quid offendiſſent te meæ li teræ,quod nihil omnino reſponderes. Non eſt quod agas gratias, mihi plus ſatis eſt, ſi ſedulitatem meam accepiſti in bonam partem.

NOVA ROGANDI, FORMVLAE.

P. Nihil ne nouarum rerum adfertur è patria? Nun-quid noui de noſtratibus accepiſti? Quid noui? Ec-quid nouarum rerum apportas? Num quid noui fer tur? Num quæ res nouæ è patria nunciantur?

RESPONSIO.

CH. Noui quidem permultũ, at nihil ueri. Noua-

rum qui-

rum quidem rerũ satis, at nihil cõperti. Noua permulta, at explorati nihil. Nõ parũ noui, at ueri nõ multũ. Nihil affertur noui. Nouarũ rerum nihil prorsus accepi. Certi nihil, noui nõnihil. Rumores afferuntur permulti, sed dubij. Plurima est fama, at rerũ nihil, firmi nihil. Si uana te capiunt, adfero tota plaustra mendaciorũ. Fabularũ totos modios apporto. Tantũ mendaciorũ adfero, quãtum uix una nauis uehat. Pe. Exonera te quàm primum, ne succumbas tanto oneri. Ch. Nihil habeo præterea quæ iactantur in tonstrinis in uehiculis, & in nauibus.

AN ACCEPISTI LITERAS? FOR.

P. Nihil ne literarum accepisti? Num ullas è patria recepisti literas? Nullæ tibi sunt redditæ literæ? Num quid scriptorũ accepisti? Num quas accepisti epistolas? Ecquas ab amiculis accepisti literas? Nihil epistolarum aduolauit è Gallia?

RESPONSIO.

CH. Literarum nihil accepi. Ne pilum quidem literarum accepi. Ne tantulum quidem adfertur literarum. Nemo literam ad me. Ne uerbum quidem à quoquã redditur. Tantum literarũ accepi iamdiu, quantum uides in oculo meo. Equidem pecunias, quàm literas malim. Argentũ accipere malim, quàm epistolas. Nũmos recipere malim, quàm epistolia.

Nihil

Nihil moror literas, modo ueniat argentũ. Equidem numerari malo mihi, quàm scribi.

CREDO, FOR.

P. Facile credo. Haud difficile creditu est. Credi istud perfacile potest. Istud tibi quis non credat? Admodum incredulus fuerit, qui hoc tibi nõ credat. Profecto habeo tibi fidem. Istius rei mihi facile fidẽ facis. Credo tibi uel iniurato. Verisimile dicis. Adferunt tamen nonnihil solatij literæ. At ego alterutrum malim quàm neutrum.

VTILITATIS FOR.

CH. Quorsum spectant literæ sine pecunia? Ad qd tandem inanes conducunt literæ? Quorsum ualent? ad quid cõferunt, faciunt, prosunt, proficiunt, literæ uacuæ? Cui gratæ, cui acceptæ literæ sine nummis? Quid emolumenti adferũt literæ inanes? Cui bono sunt ociosæ literæ? Quid iuuant, cui sunt usui? Ad quid conducibiles sunt? Quid secum adferunt momenti? Cui rei sunt utiles inanes epistolæ?

RESPONSIO.

P. Podici tergendo utiles, idoneæ, accõmodæ. Conducunt natibus tergendis. Si usum nescis earum, ad anum expurgandum ualent. Ad nates tergendas. Ad posticum purgandum. Conferunt ad eam corporis partem mundandam, quæ semet itentidem inquinat. Va=

nat. Valent conuestiendis scombris. Inuoluendo turi sunt accomode. P. Quid? ualent ne amiculi? quid uxor agit tua? C. Recte, eam apud matrem reliqui, & quidem prægnantem.

BENE PRECANDI FOR.

P. Bene & tibi et illi uertat, tibi quod pater, illi quod mater futura sit. Adsit deus. Vt utriq; uestrum faustũ felixq; sit precor, optoq;. Quæso, oro supos omnes, ut incolumis prolem uobis dignã pariat, & pulchra faciat te prole parentem. Laudo te, quod uirum te præstiteris. Gaudeo te uirum præstitiße. Gallum te eße declarasti, at non Cybelis. Abi, uirum te iudico. CH. Ludis idq; facis tuo more. Age age, est tibi ius apud me loquendi quælibet. Audio te patriam nuper reuisiße. P. Sic est factum. Nam diutiuscule iam abfueram, non ferebam tam diuturnum patriæ desyderium. Non poteram à parentum conspectu abeße diutius. Torquebat me diutinum amicorum desyderium. CH. Pie fecisti. Pius es qui ista cogites. Ducimur enim omnes admirabili quodã amore eius regionis quæ nos aluit atque ædidit. Et nescio qua natale solum dulcedine cũctos Ducit, et immemores non sinit eße sui. Dic quæso quo nam in loco illic offendisti omnia?

NOVA OMNIA FORMVLA.

 P. Nihil

P. Nihil non nouum. Mutata omnia. Nouata singula. Vniuersa noua. Vide quàm repente tempus res mutet humanas. Videbar mihi in alium uenire mundum. Vix dum decennium abfueram, & non secus omnia admirabar, quàm Epimenides somniatorum princeps, uix tandem expergefactus. CHR. Quæ nam ista est fabula? Quid istuc est fabulæ? P. Dicam equidem si uacat. CH. Nihil fuerit iucundius. P. Sellam igitur unà cum puluino mihi poni iube. CH. Recte admones, nam sedens commodius mentieris. P. Fabulantur historici de Epimenide quodã Cretensi, qui deambulandi gratia solus urbem egreßus, quũ in quadam spelunca obdormißet, quadraginta septẽ perpetuos annos somnum cõtinuarit.

NON CREDO, FORMVLA.

Ch. Quid narras? Incredibile dictu. Non uerisimile dicis. Somnium mihi narras. Non fit mihi simile ueri. Monstri simile narras. Non pudet tam improbæ uanitatis? Digna fabula, quæ addatur ueris narrationibus Luciani. P. Imò rem narro à grauißimis proditam authoribus. Nisi forte tibi parũ spectatæ fidei est Aulus Gellius. CHR. Mihi uero quæ scribit ille, folia Sybillæ sunt omnia. Quid tandem theologũ tot annos somniaße reris? Nam theologum fuiße proditum est.

RESPON-

RESPONSIO.

P. Quid aliud quàm quæ postea prodidit Scotus, & huius farinæ sodales? Sed bene cũ Epimenide actum est, qui uel tandem ad se redierit. Multi theologi nunquam expergiscuntur à suis somnijs. CH. Age, facis ut poëta dignum est. Sed perge mentiri. P. Epimenides igitur somno solutus, è spelunca prodit, circũspicit, mutata uidet omnia, syluas, ripas, flumina, arbores, agros, breuiter nihil non nouum. Accedit ad urbẽ, percontatur, manet illic aliquandiu, neq; nouit quenquã, neq; à quopiam agnitus est. Alius hominum cultus, nec idem uultus, mutatus sermo, diuersi mores. Nec miror hoc Epimenidi post tantum annorum euenisse, cum mihi idem propemodum euenerit, qui pauculos annos abfuißem. CH. Quid uterq; parens, uiuunt ne? P. Viuunt ambo, & ualent utcunq; senio, morbo, curis, deniq; bellorũ calamitate confecti. CH. Hæc est humanæ uitæ comœdia. Hæc est fatorum lex ineuitabilis. P. Cœnabis hodie domi? Ch. Foris cœnaturus sum. Foris cœnandum est mihi. P. Apud quẽ? Ch. Apud socerũ meũ, apud generum meum, apud nurum meam, apud affinem meum.

Affines dicuntur qui nõ sanguinis sed matrimonij coniunctione copulati sunt. P. Quæ sunt igitur usitata uocabula affinitatum?

NOMINA AFFINITATVM.

CH. *Maritus & Vxor nota sunt nomina.*

Socer	*uxoris meæ pater est mihi.*
Gener	*filiæ meæ maritus.*
Socrus	*uxoris meæ mater.*
Nurus	*filij mei uxor.*
Leuir	*mariti frater. Leuir dicitur ab uxore, ut Helena Hectorē leuirū uocat, qd' esset nupta Paridi.*
Fratria	*fratris mei uxor.*
Glos	*mariti soror,*
Vitricus	*matris meæ maritus.*
Nouerca	*patris mei uxor.*
Priuignus	*uxoris aut mariti filius.*
Priuigna	*filia alterutrius.*
Riualis	*qui amat eandem.*
Pellex	*quæ amat eundem. Vt Thraso riualis est Phedriæ, Et Europe pellex est Iunoni.*

CRAS PRANDEAS, FOR.

P. Ago gratias. Laudo te. *In crastinum igitur te ad cœnam uoco. Cras ergo ut mecum cœnes oro. Cras igitur mecum prandeas rogo. Cras igitur te mihi conuiuam uolo.*

TIMEO NE NON POSSIM.

Ch. *At uereor te non licuerit. Vt poßim metuo. Veniam si quidem licebit. At metuo ne non queam.*

QVARE

QVARE.

P. Cur non licebit? Qui sic? Quid ita? Quam ob rem? Quo pacto? Quid causæ? Quid obstiterit quo minus possis?

DOMI ME ESSE OPORTET.

Ch. Tum quidem mihi domi manendum est. Vt domi nocte sim necesse est. Tum certe foris esse non licebit. Cras mihi quoquã ire foras, liberum non erit. A prãdio abesse mihi integrũ nõ erit. Aliquot ipse conuiuas eo die opperior. Aliquot amiculi cõstituere ea nocte domi nostræ cœnare. Ipsi mihi conuiuæ sunt ea nocte tractãdi, alioqui lubẽs uenirẽ. Ni id esset, haud grauatim facerẽ. Quod ni esset, haud me tibi difficilem præberẽ. Nõ excusarem si liceret. Non paterer bis rogari, si queã. Parce rogare. Vel inuocatus adessem, si quo pacto liceret. Haud grauate tibi obsequerer, si poßim. Frustra rogas eũ, cui nõ est liberũ, frustra item rogaturus, si liberũ esset. Nunc ut maxime cupiã nõ possum. Tunc superuacaneũ esset rogare uolentẽ. P. Vel perendie apud me sis oportet. Saltem perendino die ad cœnã uenias necesse est. Quarto ab hinc die nõ grauaberis mihi præbere conuiuã. Die Iouis proximo, non potes effugere quin uenias.

NON POSSVM PROMITTERE.

Ch. Non possum polliceri. Affirmare istud tibi non

possum. Promittere certo nequeo. Veniā ubi utriq; nostrum uidebitur commodißimum.

DIEM DICERE DEBES.

P. Diem igitur mihi cōstituas uolo, ad quem mecum sis cœnaturus. Diem igitur aßignes oportet. Diē igitur promittas, necesse est. Diem certū mihi præfiniri, præscribi, præstitui, constitui cupio. Ad certum diem condicito. Diem mihi dicas uelim.

NOLO TE PRAESCIRE.

Ch. Equidem nō soleo dicere diem amicis. Præscium te esse nolim. Præscire te nolo. De improuiso te opprimam. Inopinato te opprimam. Te nec opinantem oppressero. Te nihil suspicantem oppressurus sum. Nō expectatus adfuero. Adoriar te, nec opinantem. Veniā ultroneus & insperatus conuiua.

PRAESCIRE VOLO.

P. Biduum præscire uolo. Biduum præscius esse cupio. Præmoneto biduo priusquàm uenias. Fac me biduo ante certiorē. CH. Si me urges, dico tibi diē Sybariticum, ne desit apparandi spacium. P. Quid hoc uerbi est? Ch. Sybaritæ cōuiuas inuitant in annum proximum. Vt utrinq; sit iustus apparatus.

P. Valeant Sybaritæ cum suis molestis conuiuijs. Ego congerronem uoco, non Satrapam.

TVO MALO OPTAS.

Ch. Equidem

Ch. Equidem tuo detrimẽto. Tuopte quidẽ malo. In damnũ tuũ istud optas. In cõmodo istud precaris tuo.
P. Quid ita? Quã ob rem? Ch. Ego instructus accedam. Ego munitus ueniã. Aggrediar te paratus. Instructus multa fame accedã, tu uide ut uulturẽ explcueris. Parabo uentrem, ac dentes exacuam, tu uide quibus modis lupũ exatures. P. Age ad hoc certamen te prouoco. Age fac pro uiribus, pro uirili si quid potes maxime. Ch. Veniã, sed nõ incomitatus.
P. Tãto uenies gratior. Sed quo comite uenies? Ch. Vmbra. P. Nec secus poßis, si modo cũ luce uenias.
Ch. Sed umbrã adducturus sum dentatã unam atq; alterã, ne tu me uocaris impune. P. Age, ut libet, modo ne laruas adducas. Sed explana si libet, qd sibi uelit umbræ uocabulũ. Ch. Apud eruditos umbræ uocãtur, qui ipsi nõ uocati comitãtur eũ qui uocatus est ad cõuiuium. P. Taliũ umbrarũ adduc quãtũ voles.

EA LEGE PROMITTO.

Ch. Veniam quidem, at hac lege, ut tu postridie eius diei uicißim apud me cœnes. Faciã eo quidẽ pacto, ut tu deinde mihi quoq; sis cõuiua. Ea lege cœnam cõdico, ut tu rursum mihi sis cõuiua. Spõdeo futurũ, sed hac exceptiõe, si tu postero die itidẽ apud me sis. Recipio tibi facturum me. Do fidẽ futurũ his quidem legibus, ut tu mecum postridie prandeas.

P. Age fiat. Esto. Sit ita ut uis. Si iubes faciam. Noui Gallorum magnificentiam. Non uis gratis apud me cœnare, nisi uices retuleris. At isto quidem pacto redire solent in orbẽ conuiuia. Sic nascitur conuiuiorum longa periodus. Hac uicißitudine fiũt sine fine reciproca conuiuia. CH. Nihil suauius, si minimum accedat apparatui quotidiano. Cæterum ego te detineo, aliò fortaßis iturum. P. Imó ego te opinor. Sed cras latius & familiarius confabulabimur. Verum crastino die plura nugabimur. Interim fac ualeas. Interim cura, ut bene ualeas. Interim ualebis.

QVO IS? FOR.

CH. Quò tu nunc abis? Quò tu nunc properas? Quò tu tam celeri gradu tendis? Quò nam te confers? Quò nunc iter est?

EO DOMVM, FOR.

P. Domum me recipio. Domum reuertor. Domum repeto. Domum me cõfero. Viso quid domi agatur. Accerso medicũ. Rus hinc cõcedo. Constitui ad hãc horã cum uiro quodã grauißimo colloqui. Statui hac hora uerba facere cũ uiro grauißimo. Ch. Quó nam? P. Cum Curione multiloquo. Ch. Precor igitur tibi præsentẽ Mercurium. P. Quid opus Mercurio fauente? Ch. Quia res erit cum linguaci. P.

Atqui

Atqui hac gratia magis conueniebat mihi memoriā precari propiciā. Ch. Quid ita? P. Quia patiētißimis auribus opus erit potius quàm strenua lingua. At auris memoriæ dicata est. Ch. Qua nam iturus es? Quá ibis? P. Hac ad sinistrā, hac, illac, per forū. Ch. Comitabor igitur te. Assectabor ac deducam te ad diuerticulū usq;. Non patiar te circūagi. Nolim te tantum laboris mea causa capere. Isthuc officij serua cū erit usus. Nunc nihil opus est. Ne mea gratia facias uitæ tuæ dispendiū. Ch. Mihi quidem compendium est, frui tantisper amico. Nihil habeo quod agam, & nō sum piger, ni tibi sum molestus comes. P. Nemo iucundior assecla. At non sinam, ut mihi claudas læuum latus. Non admittam, ut mihi sinister ambules. Ch. Hic te superis commendo. Nolo te longius comitem. Vlterius nolo me comiteris.

COMMENDANDI FORMVLA.

Ch. Tu me Curioni magnopere commendato. Fac me Curioni multiloquo quàm commendatiß. facias. Me Curioni commendatum quàm diligentißime curato. Iube ut me sibi commendatiss. habeat. Ego me illi per te commendatum facio. Me tibi etiā atq; etiam commēdo. Mę tuæ humanitati quàm possum diligentißime commendo.

Recommēdo pro commendo, barbaris relinquito. Vide

to. Vide ne pauca cum multiloquo loquaris. Vide ne cum multiloquo sis pauciloquus.

OBSEQVII.

P. Vis me tibi morem gerere? Vis me tibi obsequi? Vis tibi obsecundem? Te igitur imitari me iubes? Quandoquidem ita uis, faciam libentiss.me. Ne sis mihi diutius in mora, Imò ne uterq; alteri. Ch. Sed priusquã abeas, quæso te ne graueris me docere, quo pacto his sit utendum, in mora, in causa, in culpa, qui soles elegantiæ studiosus esse. Quare age, doce, obsecro. Differe amabo.

IN CVLPA, IN CAVSA, IN MORA.

P. Mos gerendus est tibi. Non est culpa in me, nõ est culpa in te. Mora est in te, in te causa est, grãmatice quidem dicitur, at multo elegantius.

IN CVLPA.

Non sum in culpa. Culpa non est mea, uaco cul pa. Quod nihil proficis, tua desidia in causa fuit, nõ præceptor, nõ pater tuus. In culpa omnes estis. Vtriq; in culpa estis. Vtriq; culpãdi estis. Ambo accusandi estis. Ambo in culpa estis Incidisti in morbum tuo ipsius uitio, tua ipsius culpa. Itidem dicitur in uitio esse, cui culpa debet imputari. & in crimine esse, qui culpandi sunt, & in dãno esse, qui dãno afficiuntur. Hec

tur. Hoc genus sermonis nõ temere licet inuertere. Damnum in illo est, uicium in illo est.

IN CAVSA.

Quo minus ad te scripserim, morbus in causa fuit. Quod rarius ad te scripserim, mea negocia in causa fuerũt, nõ negligẽtia. Quid in causa fuit? Quid causæ fuit? Ego nõ sum in causa. Quod nullas à me literas acceperis, tabellarius in causa fuit. Quod tã macilẽtus es, amor, nõ studiũ in causa est. Hoc est, causæ.

IN MORA.

Nõ ero uobis in mora. Quid nã uobis in mora fuit? Tu nobis in mora fuisti. Tu semp in mora es. Quid te remoratũ est? Quis te remoratus est? Habes quod petebas, tuũ est memoriæ insculpere. Habes affectatiunculæ tuæ præmium. Vale mi Christiane. Vale in crastinum & tu mi Petre.

IN OCCVRSV.

Ch. Salue multũ iucundißime Augustine. A. Salue tantundem mi humanißime Christiane. Fœlix sit tibi huius diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandẽ agitur? Ch. Suauiter, ut nũc res nostræ sunt. Et cupio omnia quæ uis. A. Merito te amo, Amo te. Amãdus es. Benigne dicis. Comis es. Habeo gratiã.

IRASCOR TIBI, FOR.

Ch. At ego non nihil tibi succenseo. At ego tibi sub

irascor.

irascor. Verum ego tibi sum iratus. Atqui ego sum in te stomachosior. Atqui non nihil est, uel habeo, quod tibi succenseam.

QVA CAVSA? FORMVLA.

AV. Quidnam est istud obsecro? Quid ita? Quã ob rem tandẽ oro? Quid admisi sceleris? Quid cõme=rui? Promereor bona, aut laudem, cõmereor mala, aut pœnã, illud in bonã, hoc in malã partẽ sumitur. Demeremur eum, quem nobis beneficio reddimus obnoxium.

QVIA NON CVRAS ME.

Ch. Quod nulla mei tibi cura sit. Quod nihil non respicis. Quod tã raro nos reuisas. Quod nihil non cures. Quod me planè negligis. Quod nostri curã uideris abiecisse. A. At nihil est causæ cur suc=censeas. At præter meritũ meũ. At immerito succen=ses. Neq; enim mea culpa accidit, quod te rarius ui=sam. Dabis ueniã occupationibus meis, per quas mi hi nõ licet toties, quoties cupio, te reuisere. Ch. Ita demum tibi ignoscã si hodie apud me cœnes. Ea con ditione purgatus mihi eris, si uesperi ad cœnã ueni=as. A. Haud iniquas pacis leges præscribis Christi=ane, quare haud inuitus faciã. Equidem faciam uo=lens. Istud quidem fecero perlibẽter. Haud graua=te faciã. Hic sanè nõ me præbebo difficilẽ. Nihil hac re fecero

re fecero libentius. Animo faciã lubenti. Ch. Lau do tuã facilitatem, & in hac re, & in cæteris omnibus. A. Sic soleo amicis obsequi, præsertim non iniqua petentibus. Ridiculum, an tu me recusaturũ putabas oblatum, quod ultro etiã erat rogandum?

NE FALLAS ME. FORMVLA.

Ch. Age, at caue, ne me deluseris. Caue fallas. Caue spem frustra foueam. Caue luseris expectãtem. Caue mihi uerba dederis. Vide ne me frustra habeas. Vide ne me uana spe lactes. A. Nihil opus iureiurãdo. In cæteris, in alijs time perfidiã, hac in re nõ fallam. Sed heus tu, caue quicquàm paraueris præter quotidiana, mea causa diem festum nolo. Scis me conuiuã minime edacem, bibacẽ multo minus. Nosti enim me conuiuã non multi cibi, sed ioci plurimi. Ch. Curabitur diligenter. Ego te pythagorica cœna excipiam, aut fortasse frugaliore. A. Imò Diogenica, si me delectare uoles. Ch. Certe Platonica cœna te accipiã in qua multũ sit literatarũ fabularũ, cibi minimum, cuius uoluptas duret etiã in posterum diem. Alioqui qui prolixe fuerit acceptus, fortaßis eo die suauiter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. A. Apud Platonẽ qui cœnabat, unã uoluptatẽ capiebat ex apparatu facili, fabulisq; philosophicis. Alteram postridie, quod nec capitis grauedinem,

uedinem, nec ſtomachi cruditatē ſentiret. Ita pran-
debat etiā ſuauiter, ex condimento cœnæ pridianæ.
Ch. Placet, fiat ut mones. Tu uide omnes curas tu-
as, ac rugas etiā iſtas domi relinquas. Huc præter
nugas, & riſum nihil adferas. Et, ut inquit Iuuena-
lis, Protinus ante meū quicqd dolet exue limen. A.
Quid? literas mecū uenire nō uis? Muſas meas mecū
adducā, niſi quid aliter cenſes. Ch. Tetricas Muſas
unà cum negocijs domi claudas. Blandas Camœnas
omnes, deinde ſales tuos, dicteria, ſcōmata, facetias,
lepôres, ridicula omnia tecum adducito. A. Ita fiet.
Exporrigemus frontē. Bellos homunculos agemus.
Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus
Genio. Genialiter cœnabimus. Epicureos agemus.
Bonum uultum faciemus, & erimus boni ſocij,
inelegātium elegantiæ ſunt, qui ſuā habent linguam
ſibi peculiarem. Ch. Quò nūc properas? A. Ad
generum meum. Ch. Quid illud, quid eò, quid illò?
A. Audio neſcio quid turbæ inter eos natum, ut redi
gam eos in gratiam, ut reducam in concordiā, ut pa-
cem inter eos componā. CH. Benigne facis, quan-
quam nihil te opus eſſe arbitror. Nam ipſi inter ſe
melius hoc bellū cōpoſuerint. A. Fortaßis & in-
duciæ indictæ ſunt. Noctu de pacis legibus agetur.
Sed nunquid me aliud uis? Ch. Vocabo te per pue-
rum meū.

rum meum. A. Vbi uoles, domi ero. Bene uale.
Ch. Bene sit tibi. Fac hic ad quintam horam adsis.
Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, qui mihi hodie, ut scis, cœnam condixit.
PVER PETRVS. Eo. Salue poëta. Cœna iam dudum parata est, te herus expectat domi, ubi uoles, accedas. A. Venio. Salue mi Christiane. Ch. Bene factũ quod uenisti. Gaudeo te aduenisse. Gratulor mihi quod uenisti. Nondum quinta sonuit credo.
PVER. Imò iamdudũ præterita est. Haud longe sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextã audies. A. Parui refert, an post quintam uenerim, nec ne, modo ne post cœnam. Nã post festum uenire miserum est. At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulæ? Num me lupũ existimas? Num tibi lupus uideor? Num me uulturem putas? Ch. Non uulturem, sed tamen nec cicadam, ut rore uiuas. Nihil est luxus. Mundicies mihi semper placuit. Sordes detestor. Nec Apicius mihi placet, nec Diogenes. Præstat aliquid superesse, quàm deesse. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo forte illapsa in ollam cõdiret legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaq; mihi placet moderata uarietas. A. Non tu metuis leges sumptuarias? Ch. Imò peccaui frequenter in diuersum. Nihil opus nobis le-

ge Faunia.

gc Faunia. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenui=
tas. A. Haud ita conuenerat. Longe aliter pollici
tus es. Ch. Age, inepte, nec ipse cõuenta seruas. Con
uenerat enim ne quid præter nugas inferres. Quin
hæc missa faciamus. Lauemus ac discũbamus. Heus
tu puer, cape guttum ac patinã, linteum ex humero
suspende, ministra aquã, quid cessas? Laua Augusti=
ne. A. Laua tu prior. Ch. Bona uerba. Hoc anno
perpetuo illotus cœnare mallem. A. Ridiculum, nõ
honoratiori, sed turpiori ante alios lauandũ est, laua
igitur ut immundior. Ch. Tu es urbanus plus satis.
Es urbanior quàm sat sit, quàm par est. Quorsum
attinet ista urbanitas? Huiusmodi ceremonias in=
eptas mulierculis relinquamus, quæ nunc & ab auli
cis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. La=
uctis terni aut quaterni simul. Ne teramus tẽpus hu=
iusmodi moris. Ego nulli designabo locũ, sumat sibi
quisq; quẽ uolet. Qui delectatur igni, hic cõmodius
accũbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulũ.
Quẽ delectat prospectus, hic sedeat. Agite, satis mo
rarũ. Accumbite. Ego domi sum, uel stans cœnabo
si lubeat, uel obambulans. Cessatis? At interim cœ=
na corrũpitur. A. Viuamus nunc, curemusq; cuticu
lam. Simus nunc Epicurei. Nihil nobis cum fronte
Stoica. Valeãt curæ. Absit omnis liuor, exulet ob=
trectatio

trectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. Ch. Qui nam sunt isti Stoici atq; Epicurei Augustine? A. Stoici philosophorum quoddam genus est triste, seuerum, ieiunum, qui hominis summum bonum honesto, nescio quo, metiuntur. Epicurei his longe diuersi, felicitatẽ hominis uoluptate terminãt. Ch. Tu igitur cuias es tãdem. Stoicus, an Epicureus? A. Zenonem laudo, at Epicurũ uiuo. Ch. Quod tu ioco dicis Augustine, id serio factitant hodie nõ pauci pallio tãtum & barba philosophi. A. Imò isti uel Asotos superãt luxu. Ch. Heus Dromo ades huc. Tuo munere fungere, consecra cœnam. Puer. Quicquid appositum est, & quicquid apponetur felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuersa. Amen. Ch. Appone epulas. Quid cunctamur hũc capũ decerpere? quid trepidamus hunc gallum lacerare? A. Ego Herculem præstabo, ac beluam hanc conficiam. Vtrũ mauis de ala, an de poplitibus? Ch. Vtrum uis, nihil mea refert. A. In hoc genere, alis primæ partes tribuũtur, in cæteris poplites lautiores putat uulgus. Ch. Tu multum laboris mea causa capis. Tu permultum laborem mea causa sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo, at ea lege, ut dimidium mihi restituas. A. Itáne agitur? At istud est tibi ministrare, nõ mihi. Tibi serua, ego enim

 sum impu-

pudentior, quàm cui ministrari quicquam debeat. Ch. Probe facis. Eho, tu lupo cibũ ministras? Vulturem inuitas? Ch. At ieiunas, non cœnas. A. Imò me uno nihil edacius. Ch. Imò mẽdacius nihil. Perinde agito ac si domi sis tuæ. A. Istud iam planè mihi persuasi. Istud iam in animum induxi. Sic stat sententia. Consiliũ est istud facere. Ch. Quid tibi hoc uinum placet? Quid te hoc uilli delectat? A. Mihi quidem perplacet. Me certe uehementer iuuat. Me satis delectat. Me non mediocriter iuuat. Ch. Vtrũ mauis rubrum, an candidum?

NON REFERT, QVO SIT COLORE.

A. Equidem utroq; iuxtà delector. Nihil refert quo sit colore, modo sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat uinum, modo palatum iuuet. Nihil me mouet aspectus, si sapor placeat. Parui refert, quo sit colore, quem habeat colorẽ, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queat, modo palatũ iuuare poßit. Nihil moror colorem, modo gratus sit sapor. Ch. Credo. Atqui sunt cœnaticæ philosophiæ cũ primis periti, qui negant uinum eße probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus, Oculis colore, naribus odore, palato

sapore

sapore, auribus fama & nomine. A. Ridiculum quid fama conducit ad potum? CHR. Tantum ut multi non stupidi palati, uehementer probarint uillum Louanio uernaculum, quum crederent eße Belnense. A. Fortaßeiam larga potatione palatum obsurduerat. CH. Imò nondum attigerant poculum. Tamen iudicium tuum audire cupio, hominis his in rebus peritißimi. A. Album nostrates rubro præferunt, quod album paulo sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius, & (ut arbitror) salubrius. CH. Habemus & subrubrum, & flauum, & purpureum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quem capit uetustas. Habemus & quadrimum. Sed iam uapescit ac desipiscit senio. Aetate uigor euanuit. Heus puer ubi ceßas? Nos hic planè negligis, non uides quanta sit hic siccitas? Quid si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine quid habes, quod parum es hilaris? Quid accidit tibi, quod sedes tristior? Quid tibi est, quod minime gaudes? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis. Melißa tibi opus est. A. Quam hic mihi fabulam narrat? Ch. Chrysippus adeo fertur intentus fuiße suis argutijs logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Me-

lißa cibum in os ingeßißet. A. Ille uero indignus erat qui seruaretur. Sed si te offendit taciturnitas, placetq́; conuiuium, uocalius, est quo id efficias. Ch. Memini. Recte admones, liberalius bibēdum, largius, copiosius, meratius oportet bibere.

REM ATTIGISTI.

A. Rem acu tetigisti. Recte iudicas. Scopum attigisti. Nam fœcundi calices, quem non fecere disertum? Ch. Perdocte tu quidem Augustine, ut omnia, Sed quoniam in sermonem uinarium, quando in mentionem incidimus uinorū, libet interrogare, quonā cōsilio ueteres illi Bacchum, quē uini authorem uideri uolebāt, poëtarū deum dixerint. Quid enim illi temulento deo, cum poëtis musarum uirginum cultoribus? A. Quæstio, ita me Bacchus amet, poculis digna, uerum quorsum tuæ quæstiones spectent, satis intelligo. Ch. Quorsum amâbo? A. Astute de uino disputationem inijcis Gallica techna, quàm didicisse Parisijs te suspicor. Nimirum quo minus interim absumatur uini. Abi, uirū te iudico, non frustra in tanta schola uersatus es. Ch. Accipio tua dicta, referā paria scommata, ubi erit commodum. Sed ad rem. A. Dißoluam ubi bibero. Siquidem absurdum fuerit sicco palato, de quæstione uinosa disputare. Præbibo tibi Christiane. Propino tibi hunc scyphum dimidiatum. Ch.

tum. Ch. Accipio abs te libenter. Sit ſaluti, proſit. A. Iam accingor, ut me miſſum facias. Ego meo more præpoſtere faciam. Quod Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet myſterij, quod uinum potũ curas & ſollicitudines animis noſtris eximit, hilaritatemq́; quandã inducit. Quare ſenibus quoq; ipſis iuuentam quandã reddere uidetur, dum & hilariores facit & formoſiores. Id quod Horatius cũ multis in locis, tũ præcipue his uerſibus aperte teſtatur.

Ad mare cum ueni, generoſum & lene requiro.
Quod curas abigat, quod cum ſpe diuite mânet.
In uenas animumq́; meum, quod uerba miniſtret.
Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.

Nam quod huic poëtas dicarũt deo, id ſignificatũ uoluiſſe ſuſpicor, quod uinũ & ingeniũ excitat, & facundiã miniſtrat, quæ duo poëtæ ſunt aptiſsima. Vnde frigent carmina, quæ ſcribuntur aquæ potoribus. Eſt quidem igneus ſuapte natura Bacchus, ſed adhibitis nymphis redditur tẽperatior. Habes quod quærebas. Ch. Nihil unquam audiui uerisimilius dici ab homine poëta, dignus es qui bibas gemma. Heus puer, tolle hãc patinã, atq́; appone cætera. A. Puerũ habes admodũ inurbanũ. Ch. Eſt ueterator nequiſsimus. A. Cur non inſtituis alio pacto. Ch. Difficile eſt canem uetulum loris aſſueſcere. Diffi-

cillimum est, ueteratoris mutare mores. Vetulus canis nō facile assuescit loro. Hic quidem dignus est. Dignum patella operculum.

SI COGNOSCEREM QVID TE OBLECTET, TIBI SERVIREM, FORMVLA:

A. Decerperem tibi quippiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi, si gula tua mihi satis cognita esset. Apponerem tibi, si quid potißimum iuuaret, scirem. Si nossem ingeniū palati tui, essem tibi structor. Equidem tantundem palato, quantū animo sapio. Ch. Palatum habes eruditißimū. Nihil tuo palato doctius, nec eo te puto inferiorem, de cuius singulari peritia testatur Satyricus,

Ostrea callebat primo deprehendere morsu,
Et semel aspecti dicebat littus echini.

A. Et tu mihi Christiane, ut par pari referam, ipsum audiuisse Epicurum, aut in schola Catiana institutus uideris. Quid enim tua gula, aut sapientius, aut fastidiosius? Ch. Si oratoriam æque artem, ut culinariam callerem, nec Cicero ipse me uinceret. A. Equidem si alterutra carēdum esset, culinariā quàm rhetoricam mallem. Ch. Subscribo tuo iudicio grauiter, acute, uereq; iudicas. Quid enim oratorū

con=

cõfert loquacitas, nisi qđ aures ociosas inani uolu=ptate demulcet? Culinaria tum palatum, tum uen=trem, tum totum hominem, quantus est, pascit ac re=ficit. Cõcedat laurea linguæ, inquit Cicero, at utra=q; cõcedat culinæ. Nunquã mihi Stoici illi magno=pere placuerunt, qui omnia ad suũ, nescio quod, ho=nestum referentes, cutis ac palati nullam rationem ha bendam putant. Dici non potest quanto Diogene sa piẽtior Aristippus mihi fuisse uidetur. A. Ego Stoi cos cũ suis ieiunijs cõtemno. Epicurum magis laudo ac probo, quàm Diogenem illũ Cynicum, qui crudis oleribus, ac simplici aqua uictitabat. Quare nihil miror si Alexander rex fortunatißimus se Alexan=drũ, quàm Diogenem esse maluit. Ch. Nec ego sanè quãlibet uilis homuncio cum Diogene meã philoso phiã cõmutarem, fortaßis & Catius tuus facere re=cusaret. melius nostri temporis philosophi sentiunt, qui cõtenti Stoicorũ more disputare, uiuendo ipsum etiã Epicurũ uincunt. At ego quidem rem in primis præclarã philosophiã puto si parce adhibeatur. Ni=mium philosophari nõ laudo. Est enim res perquàm ieiuna, sterilis atq; tristis. Vbi in calamitatẽ aut ægri=tudinem incidi, tum demum ad philosophiam, tan=quàm medicã confugio. Vbi conualui, rursum illi ua le renuncio. A. Tuam rationem probo. Belle phi

losopharis. Salue igitur philosophe, non è Stoa, sed è culina. Ch. Quid tãdem habes Erasmi, quod parũ sis hilaris? Quid sibi uult corrugata frons? qd silentium? An mihi succẽses, quod te frugaliore cœna exceperim? ER. Imò tibi sum iratus, quod tantũ impendij mea causa sit factum. Interminatus erat Augustinus, ne sua causa diem festũ faceres, uis nos post hac redire nunquàm. Nam talem cœnam dare solent ij, qui unam duntaxat dare constituissent. Quos tandem conuiuas uideris accepisse? Non amiculis, sed satrapis cœnam parasse uideris. An nos helluones esse credis? Hoc non est dare cœnam, sed triduanam saturitatem. Ch. Etiam tu pergis esse Demæa. Cras ut lubet disputa, hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobrij disputabimus, nunc nil nisi meras nugas audire libet. A. Christiane, utrum de bubulis an de ouillis carnibus mauis? CH. Bubulis quidem magis delector, at ouillas magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut perniciosissima quæq; appetant uehementissime. A. Galli suillas carnes mirum in modum amant. Ch. Galli amant quæ paruo constant. A. Hac una in re Iudæus sum. Nam nihil æque odi atq; carnes suillas. Ch. Nec iniuria. Quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Iudæis sentio. ER. At ego ouillas pa
riter

riter amo,& suillas,sed diuersa ratione. Nam ouil-
lis,quod amem,libẽter uescor. Suillas præ amore nõ
attingo,ne quid offendam. Ch. Bellus homo es
Erasmi ac festiuus. Equidem mirari mecum sæpe so
leo,unde tanta in palatis humanis diuersitas.Nam ut
Horatiano carmine utar,

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur.
Poscentes uario multum diuersa palato.

ER. Quanquam,ut ait Comicus,Quot homines tot
sententiæ,& suus cuiq; mos, tamen nemo mè adduxe
rit,ut credã plus ingenijs inesse uarietatis,quàm pa-
latis. Ita uix duos reperias,quos eadẽ iuuent. Per-
multos uidi, qui butyri ac casei ne olfactum quidem
ferrent. Sunt quibus carnes nauseæ sint. Alius eli-
xis,alius aßis abstinet. Multi aquam uino præferũt.
Et quod incredibile est, uidi hominem,qui nec pane
nec uino uteretur. Ch. Et quibus tandem miser il
le uictitabat? Quibus uescebatur? E. Cæterorum
nihil fastidiebat, non carnes,non pisces,non olera,
non poma. Ch.Vis ut istud tibi credam? E.Si lu-
bet. Ch.Credo,at ea lege,ut uicißim mihi mentien-
ti fidem sis habiturus. E.Age faciã,modo uerecun-
de mentiaris. Ch.Quasi uero sit quicquàm tuo com
mento impudentius. E.Quid dicet frons tua,si ho-
minem tibi cõmonstrem? Ch.Macilentũ quempiam

ue monogrammũ esse oportet. E.Imò diceres athle tam. Ch.Polyphemum potius. E.Hoc tibi mirum uideri demiror, quum multi sint quibus pisces uento durati sint panis loco. Nonnullis hoc præstent her= barũ radices, quod nobis panis. Ch.Credo, sed per= ge mentiri. E. Quendã in Italia, quũ illic agerem, uidere memini, qui nullo neq; cibo, neq; potu adiu= tus somno saginabatur. Ch.Vt nihil pudet. Nõ pos sum illud Satyricũ nõ dicere. Tũc immensa caui spi rant mendacia folles. Tu poëtaris. Tu nunc poëtam agis. Nam mentiris dicere, mihi religio est. E.Men tiar, si non Plinius autor certißimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirum inmodum sa= ginari, quo tamen ita alte premitur, ut ne uulneribus quidem queat excitari. Imó quo magis mireris, ad= dam quod Theophrastus scribit, per id tẽpus ursorũ carnes coctas quoq;, si asseruentur, reuiuiscere.
Ch. Vereor ne Parmeno ille Terentianus ista nõ cõ tineat. Mihi facile fidem facis. Ministrarem tibi de ceruinis carnibus, si satis essem urbanus. E. Vnde ti bi nunc uenatio? Vnde ferina? Ch.Midas homo ho= minum, qui uiuunt, liberalißimus, nostriq; amantißi= mus, mihi misit dono. Dono qdem, sed sic ut ego mi= noris emam sæpenumero. E.Qui sic? Ch.Quia fa mulis plus dandũ, quàm daretur in macello uendẽti.

ER. Quæ

ER. Quæ res cogit hoc facere? Ch. Tyrannus omnium uiolentißimus. E. Quis iste? Ch. Mos. E. Profecto tyrannus iste frequenter iniquißimas leges obtrudit mortalibus. Ch. Idem suo more nudiustertius hūc ceruum uenatus est. Quid tu, qui soleas istius studij esse amantißimus? A. Equidem hoc studio planè relicto, iam præter literas nihil uenor. Ch. At mihi uidentur literæ quouis ceruo fugaciores. Duobus tamen potißimum canibus assequimur, admiratione scilicet, atq; improbitate laboris. Nam & admirari plurimum discendi ardorem ministrat, & ut facundißimus poëta scripsit, Labor omnia uincit Improbus. Ch. Amanter admones Augustine, ut soles, propterea non desistam, nō conquiescam, non defatigabor, donec consequar. A. Carnes ceruinæ sunt nunc admodum tempestiuæ. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. Ch. Quidnā obsecro? A. Quotiès arrexere aures, acerrimi esse auditus, at cōtra cum remisere, surdos. Ch. Istud ipsum mihi sæpenumero euenit. Nam si quando fiat sermo de dādis mihi aureis, nihil tam auritum. Hic enim cum Pamphilo illo Terentiano aures arrigo, ubi de recipiendis à me uerba fiunt, illic remitto. A. Laudo te. Facis ut te decet. Ch. Vis de his leporinis clunibus? A. Tibi sumito. Ch. An de tergo mauis?

mauis? A·Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetendũ· Ch·Vidisti ne unquàm leporẽ candidũ? A·Sæpe numero·Plinius in Alpibus cãdidos reperiri scribit, quibus hybernis mẽsibus niuem pro cibatu esse sit creditũ. An uerũ sit, Plinius ipse uiderit· Quod si leporis cutem candidã reddit nix, stomachum habeat candidum, necesse est· Ch·Mibi uerisimile non fit· A·Accipe magis admirandum, at fortasse tibi non inauditum· Idem utramq; uim singulis inesse testatur maris & fœminæ, ac fœmellas sine mare æque gignere· Istud ipsum multi asseuerant, præsertim uenandi studiosi· Ch·Est ita ut dicis. Sed hos cuniculos, si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt ac tenelli. Ministrarem illi nymphæ, si propius aßiderem· Augustine istius tibi uicinæ curam age, si libet, calles enim quo gestu sit ministrandum istis Veneribus· A·Teneo qd dicas nasute. Ch· Quid te anserinæ carnes delectant? A·Me quidem non mediocriter iuuant, ut sum minime fastidiosus· At hic anser Nescio quo pacto, nihil me iuuat, nihil enim in uita uidi siccius· Siccior est pumice, aut etiã nouerca Furij illius, in quem Catullus multum iocatur· Ligneus mihi uidetur· Et me Hercule, quãtum suspicor, ueteranus miles immodicis excubijs sese macerauit· Aiũt enim anserem inter omnia animalia longe esse uigilantißi-

lantißimum. Et profecto, nisi coniectura fallor, hic anser ex eorum numero est, qui canibus unà cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderũt. Ch. Verisimile (ita me deus amet) dicis, nam ex eo seculo relictum arbitror. A. Hæc quoq; gallina, aut parcum saginatorem habuit, aut amauit, aut certe zelotypa uixit, quo quidem morbo hoc animantis genus maxime laborat. Hic capus longe melius pinguit. Vide curæ quid faciant. Quod si ex Theodorico nostro Gallo faceremus capum, multo citius pinguesceret. Theod. Non sum Gallus. A. Fateor non es gallus Cybeles, neq; gallus gallinaceus, at forte Gallus gallaceus. Ch. Quid hoc uerbi est? A. Hoc ænigma tibi coniectandum relinquo. Ego Sphingem præstiti, tu Oedipus esto. Ch. Dic mihi bona fide Augustine, nulla tibi cum Gallis unquàm fuit neceßitudo? Nihil ne affinitatis tibi cum Gallis contraxisti? Nullum fuit commercium? A. Nihil, nihil sanè. Ch. Tanto es nequior. Sed cum gallabus nonnihil. Libét ne de iecore anserino, quod apud ueteres in delitijs cum primis habebatur? A. Nõ sum reiecturus quod à tua manu uenerit. Ch. Non est quod expectes Romanas delitias. A. Quas? Ch. Carduos, cochleas, testudines, colubros, fungos, boletos, tubera. A. Istis omnibus ego uel

rapa

rapa præferam. Liberalis es, benignus es Christia-
ne. Ch. Has perdices nemo attingit, ne columbos
quidem. Cras est dies ieiunij ab ecclesia indicti, ad-
uersus hāc esuriem munite uos. Onerate saburra na
uim aduersus imminentē tempestatē. Bellum instat,
instruite uentrem commeatu. A. Vtinā istuc uerbi
tacuisses. Hilariores surrexissemus à cœna. Miseros
nos reddis ante tempus. Ch. Quid ita? Minus an-
guem odi, quàm pisces. Ac sæpenumero miratus sum,
quum Euangelica gratia liberarit nos à lege Mosai
ca, cuius deus author esse creditur, quur homines uo
luerint hoc onus plusquàm Iudaicū, imponere Chri
stianorum humeris. A. Quid hic incommodi?
Ch. Meo iudicio permulta. A. Quæ? Ch. Pri
mum, quia uidetur inhumanum, ut quos Christus ab
his liberos esse uoluit, qui negauit hominem impurū
reddi ab ijs, quæ ingrediuntur os, sic astringi laqueis
huiusmodi, ut gehennæ sint obnoxij, qui non serua
rint. Deinde quum multa sint corpora, quibus piscis
uenenum est, uidetur homicidij genus ad hæc adige-
re cunctos. Quod si respondeas hæc indici suppli
cij uice, uidetur iniquum etiam innoxios ad hæc com
pelli. Præterea, quum sint regiones quæ nullos habe-
ant pisces, his interdicere carnium esum, nihil aliud
est, quàm miseros ad famem adigere. Postremo,

quum

quum Christianis nihil ceremoniarum adhibeatur, nisi quatenus conducant ad ueram pietatem, inique agitur cum plerisque, quos inedia & piscium esus, segnes & inutiles reddit ad ea, quæ sunt pietatis. Quod si quis obijciat, Hieronymũ ac ueteres patres adhortari ad huiusmodi, & Apostolos ac discipulos in Actis ieiunare quotidie. Respondeo primum illos hortari duntaxat non præscribere leges gehennam minitantes. Et hortantur non quoslibet, non pueros, nõ senes, aut anus, sed iuuenes ac puellas cõtinentes, & in his regionibus, quæ ob æstum uix ullum carnium esum admittunt. Porrò si quis dicat ex huiusmodi ceremonijs, non lædi religionem Christianã, mihi uidetur nulla ex re magis lædi, dum complures huiusmodi obseruatiunculis male placent sibi, & peius alios cõdemnant. A. Vnde hic Theologus nobis in cõuiuio? Vnde nouus ac subitus hic magister noster? Ch. Sed ut uerbo absoluã, Donemus illis ius esse sic astringendi conscientias hominũ, an putas quenquã episcopũ fuisse tam crudelem, ut ob huiusmodi constitutiones uoluerit quenquàm obnoxium reddi gehennæ, nisi accesserit peruersus animus? A. Equidem ista non tam arbitror instituta à maioribus, quã paulatim irrepsisse. Quod autem his grauantur plerique, non tam imputandum episcopis, quàm populo, qui citius

qui citius lapidaret episcopos, quàm sibi pateretur
hæc eripi, iam cõsueta. Ch. Ecquid hæc tibi proban
tur. A. Insaniam si coner solus sapere. Si summus
essem pontifex, hortarer omnes ad perpetuam uitæ
sobrietatem, sed præcipue, sub diem festum. Cæte=
rum ius facerem cuiq; uescẽdi quibus uellet pro cor=
poris salubritate, dum moderate & cum gratiarum
actione. Sed satis iam Theologiæ in cõuiuio. In cœ=
na sumus, non in Sorbona. Ch. Quid uetat dici Sor
bonam, ubi bene sorbetur? A. Sorbeamus igitur nõ
disputemus, ne nobis à sorbis dicatur sorbona, non à
sorbendo. Ch. Agite hospites humanißimi, quæso
ut cœnulam nostram licet tenuem æqui boniq; consu
latis. Præbete uos hilares ac lubentes, quanquã con=
uiuium tenue sit & frugale, ego uestra facilitate fre
tus, familiariter uos uocare sum ausus. Et est sanè ue=
ster mihi aduentus conspectusq; non modo gratißi=
mus, uerumetiã iucundißimus. Conuiuæ. Cœna tua
Christiane optime, multis modis elegans lautaq; no=
bis uidetur, quod excusas id unum habet accusandũ.
Nam magnificẽtior fuit, quàm sat est. Siquidem hoc
conuiuiũ opiparum in primis, ac lautum iudicarim,
quod primum simplicibus epulis, deinde liberalita=
te, risu, iocis, salibus sit conditum, quæ omnia nostro
conuiuio non defuerunt. Verum conuiuarum de nu=
mero

mero hic mihi quiddam in mentem uenit, quos neque pauciores tribus, neque plures nouem eſſe oportere ſcripſit Varro. Tres enim ſunt Charites, id eſt, Gratiæ, humanitatis ac beneuolentiæ præſides, & nouem ſunt Muſæ honeſtiorum ſtudiorum duces. At hic decem conuiuas eſſe uideo, uirginibus exceptis. A. *Nihil cõuenientius accidere potuit. Nos ſumus Varrone ipſo paulo ſapientiores. Nam tres puellas lepidiſsimas, tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde quia à nouem Muſarum choro Apollo abeſſe nũquam credendus eſt, iure decimum adiecimus conuiuam.* Ch. *Poëtice dixiſti. Si mihi laurus adeſſet, laurea corona caput tuum cingerem, fieresq́; poëta laureatus.* A. *Si malua coronatus eſſem, maluatus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic maior eſt, quàm ut mihi conueniat. Haud equidem tali me dignor honore.* Ch. *Vultis ne ſinguli tantundem mea cauſa facere, quantum ueſtra ſum facturus?* Conuiuæ. *Volumus, ac libentes quidem.* Ch. *Ebibetis igitur ordine ſuum quiſq; calicẽ. A me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino Mida.* MIDAS. *Accipio abs te libenter.*

Pro quo uulgus præſtolor dicit. Equidem non recuſo. Nihil tua cauſa recuſabo. Ch. *Tu deinde cæteris propina.* Midas. ERASMI *præbibo tibi dimidiatam*

midiatam pateram. ER. Præcor ut ſit tibi bono. Sit tibi bonum atq́; commodum. Proſit tibi. Proficiat durius dicitur. Ch. Sed cur ceſſat pateras? Cur nõ obambulat. Defecit nos uinum. Vbi ſunt oculi tui furcifer? Vola, adfer eiuſdem generis ſextarios duos. PVER. Eraſmi, ſalue, quidam pro foribus te conuentum expetit. ER. Quiſnam eſt? PV. Mori famulum ſe dicit, herum eius ex britannia adueniſſe cupere ut ſe uiſas, quandoquidem prima luce iter parat in Germaniam. ER. Chriſtiane ſubducatur ratio, nam mihi quidem abeundum. Ch. Rationem Eraſmi doctiſsime huius cœnæ ego confecero. Non eſt quod calculum fruſtra teras gratiam habeo, qui dignatus ſis noſtro adeſſe conuiuio. Sed auocari te moleſtum eſt, nondum peracta fabula. ER. Quid ſuper eſt niſi ut dicam, ualete & plaudite? Ch. Age boni conſulemus, quando tu non ab equo ad aſinos, ſed ab amicis ad amiciſsimos properas? ER. Ego pariter tibi gratias ago, quod pro tua humanitate ad hoc conuiuium longe ſuauiſsimum me uocaris. Valete ſodales optimi. Bibite non ſegniter, & uiuite ſuauiter. Ch. Heus Dromo? Sedetis iamdudum ocioſi omnes. Libétne cuiquam quicquam amplius? Conuiuæ. Nihil omnino. Strenue munus noſtrum adminiſtrauimus. C. Tolle igitur hæc, ac bellaria appone.

Muta

Muta quadrulas atq; orbes. Tolle cultrum meum qui humi decidit. Pira uino perfunde. Adsunt mora præcoqua etiam domi nostræ nata. Conuiuæ. Tanto erunt suauiora quod uernacula. Ch. En pruna cerea, en Damascena, rarũ apud nos spectaculum. En mitia mala. En mali nouũ genus, cuius matrem ego hisce manibus cõseui. Nuces castaneæ, omne deliciarũ, quas horti nostri benigne effundunt genus. A. Sed flosculi desunt. CH. Isti Gallici sunt apparatus, qui magnificentiam eam potißimum amant, quæ minimo constet. Nobis non est ea mens, aut ingenium. Sed heus tu Augustine, num tu credis te hic immunem bibiße? Egó ne te meis immunem tingam poculis? At interim propinatori tuo dimidium scyphi debes.

A. Is iamdudũ me mißum facit. Is mihi huius debiti gratiam fecit. Ch. Vnde ille sibi uindicat tantum authoritatis? Vix Romanus pontifex hoc uinculi relaxet. Nosti priscam cõuiuiorum legem, ἢ πίθι ἢ ἄπιθι. A. Remittendi iurisiurandi ius habet is, cui factum est, & cuius intererat seruari. Ch. Sed omnium conuiuarum interest, seruari leges inuiolabiles. A. Age quando hæc est Germanorum religio, exorbebo quod reliquum est. Sed quid tibi rei mecũ est? Ch. Impendium reddas oportet, unus nomine omnium. Quid expalluisti? Ne uerere, perfacile po-

teris. Fac quod sæpe fecisti, ut aliqua elegãtia doctio res à cœna surgamus. Neq; enim clamte est, ueteres illos in secundis mensis hilariora quædam disputare solitos. Age igitur, quibus & quot modis hæc oratio potest enunciari. Indignum auditu.

INDIGNVM AVDITV. FOR.

A. Dixti pulchre per posterius supinum. Auditu minime est dignum. Indignum est audiri. Haud dignũ est, quod audiatur. Est ut audiatur indignũ. Leuius est, quam quod audiri debeat. Vix operæpreciũ est referre. Nõ tanti est ut audiatur. Ineptius est, quàm quod audiatur. Non est operæprecium narrare. Ch. Quot modis hæc sententia uerti potest?

VARIANDI RATIO HANC ORATIONEM, MAGNO MIHI CONSTAT.

A. His uerbis, impendo, insumo, impertio, constat. Vt, multum in te docendo insumpsi laboris. Plurimum in ea re operæ insumpsi. Non minus pecuniæ quàm curæ in eam rem impendi. Non parum insumpsi pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum ingenij nonnihil. Multum lucubrationis impendi. Multis uigilijs hæc res mihi constat, multo sudore, multa opera, plurimo labore, sumptu ingẽti, pecunia

magna

magna. Pluris mihi cõstat, quã credas. Minoris mihi constat uxor, quàm equus meus. Ch. At quid sibi uult Augustine, quod uerbo isti constat, modo ablatiuum, modo genitiuũ casum apponis? A. Quæstionem perutilem, ac late patentẽ mouisti, uerũ ne cõuiuas loquacitate mea premam, paucißimis absoluam. Sed cupio singulorum hac de re audire sentẽtiam, ne cuiquam (ut dixi) sim molestus. Ch. Quid ni cupiant idem uel puellæ? A. Scis uerba emendi ac uendendi, aliaq; esse consimili significatu, quibus apponantur hi genitiui soli, tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quantiuis, quanticunq;. At ita si substantiua non apponantur, quæ si accedant, utraq; in ablatiuum casum uertuntur. Quod si precium certũ apponatur, pones in ablatiuo. Si per adiectiuũ, substantiuum in ablatiuo pones, nisi per aduerbia loqui malis. Ch. Quænam uerba sunt de quibus præcipis? Hæc ferè sunt, emo, mercor, redimo, id est, aut captũ, aut perditum, uendo, uenundo, reuendo, id est, rursus uendo, quod mihi uenditum erat. Veneo, id est, uendor, in præterito ueniui uel uenij, in supino uenum. Hinc uenalis. Ab illo, id est, uendo, uendibilis manat. Mereo pro inseruio & stipendium facio. Comparo, id est, emo, uel cõmitto. Cõmuto, muto, permuto, Cambire penitus barbarum in hoc sensu. Aestimo,

taxo, indico pro æstimo, censeo. Liceor cris, licitor aris, addico. Distrahor, id est, circũferor ut uneã. Metior pro æstimo, aut taxo. Constat, pro emitur. Cõducere, locare. Fœnero, ad fœnus do. Fœneror, ad fœnus accipio. Paciscor, pactus sum. Pango, pepigi, pactum facio. Ch. Da exemplum.

VENDENDI ET EMENDI FOR.

A. Quanti istum agrum in singulos annos locas? Respondebimus, Vigenis francis. Hui nimio locas. Imò locaui olim multo pluris. At ego tanti non conducam. Si conduxeris minoris, peream. Imò iam uicinus tuus Chremes agrũ obtulit, ac rogat. Quanti? Tantidem quantum tu petis. At multo meliorem. Mentiris. Facio, ut solent qui licentur. Tu ipse tanti poßide. Quid liceris uel licitaris, cum nihil sis empturus? Quanticunq; addixeris, soluam optima fide.

ALTERVM EXEMPLVM.

Congrum istum Syra quãti uendis? Decem obolis. Nimio turpißima. Imò minimo, nulla tibi uendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certe non multo minoris. Mentiris uenefica, quoniã duplo uis uẽdere, aut triplo. Et centuplo si queam, sed fatuos nõ inuenio. Quid si liciter te ipsam? Quanti æstimas te? Vt lubet, quanti me liceris? Quanti

indicas

indicas te? Dic, Quanti te taxas? Quanti te ipsam inscribis? Decem scutatis. Hui, tanti? Eho, an tu minoris me æstimas? Ego olim non semel, pluris in unam noctem sum conducta. Credo, at nunc nõ paulo minoris æstimo, quàm piscem. Abi in malã rem ganeo, tantidem te æstimo, quanti tu me. Qui te teruntio emerit, nimio emerit. Aut pluris emar, aut non uendar. Si magno uenire cupis, larua tibi opus est, nam rugæ istæ non sinunt, ut carius uendaris. Ei qui tanti me nolit, non sum uenalis. Ego ne culmo quidem te emero. Constiti pluris.

TERTIVM EXEMPLVM.

Auctioni hodiernæ interfui. Ain' tu? Licitatus sum uectigalia. Quanti tandem? Decem millibus. Hui, tanti? Ne mireris, erant qui multo pluris licerentur, pauci qui minoris. Cui tandem addicta sunt uectigalia? Chremeti, uxoris tuæ summo & maximo amico. Sed diuina quanti sunt addicta. Decem. Imó quindecim. Deus bone. Ego mihi hominem ipsum cum tota familia dimidio addictum nolim. At ille uxorem tuã duplo emptam cupit. Animaduertisti ne in his orationibus, ubicunq; absit substantiuũ precij, id in ablatiuo poni, cæteris aut in genitiuo positis, aut in aduerbium mutatis? Comparatiuum nunquàm audisti sine substantiuis, exceptis

illis duobus, pluris & minoris. Sunt & alia uerba, de quibus sumus loquuti, nō admodū dißimilia, Sum facio, habeo, duco, æstimo, pendo, quæ idē ferè signi= ficant, fio itidē. Iungūtur autē his ferè genitiuis, mul ti, parui, magni, pluris, plurimi, minoris, minimi, ma ximi, tanti, quāti, flocci, pili, nihili, nauci, huius, & si qua sunt his similia. Christianus. Da exempla.

AESTIMANDI, FORMVLAE.

A. Scis quanti te semper fecerim? Tanti fies apud homines, quāti uirtutem facies. Præceptores meos semper feci plurimi. Aurum hac tempestate magni penditur, literæ nihili, siue pro nihilo ducuntur. Au rum minoris habeo, quàm credas. Tuas minas floc= cifacio. Promissa tua duco minimi. Non pili te fa cio. Si tanti sapientia penderetur quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris apud nos fit aurū sine sa pientia, quàm sapientia sine auro. Hoc pluris te ha beo, quod doctus sis. Minoris hic fies, quod mentiri minime calleas. Hic multi fiunt, qui nigrum in can didū uertūt. Hoc mihi pluris es, quod literas amas. Tanti apud omnes eris, quantum poßidebis. Tanti ubiq; habeberis, quantum habebis. Non quanti ha bearis, sed quanti sis interest. Tanti Christianum meum facio, quanti alium neminem. Inueniuntur & alia uerba cum his genitiuis & ablatiuis, quæ na

tura sua

tura sua non significant emptionem, aut aliquid simi le. Petrus osculum puellæ scutato emit. Sit illi faustum, nolim ego basiare tanti. Quanti luditis? Quanti cœnastis? Quosdam sexcentis sestertijs cœnasse legimus, at Galli sæpenumero Liardo cœnitant. Faustus quanti docet? Paruo. At pluris quàm Delius, quanti igitur? Vnde uiginti aureis. Non discam mentiri tanti, Phædria apud Terentium & rem & seipsum perdidit. At nolim ego amare tanti. Quidā magno dormiunt. Demosthenes pluris siluit quàm alij loquebantur. Aequi boniq; consulas oro. Est & aliud uerborum genus quæ accusatiuum unà cum genitiuo aut ablatiuo casum exigunt, quæ sunt accuso, id est, obijcio crimen, aut culpo etiam absentem. Incuso inculpo extra iudicium. Arguo, reprehendo. Insimulo, impingo suspicionem culpæ. Postulo, in ius uoco. Accerso, defero. Damno, condemno, pronuncio illum esse in culpa, admoneo, commonefacio.
Ch. Exempli causa.

ACCVSANDI FORMVLA.

A. Scipio accusatus est ābitus, aut de ambitu. Arguis me impudentiæ ipse impudentißimus. Lepidus postuatus est repetundarum. Accersitus est capitis. Si hominem insimulabis auariciæ, male audies. Admoneto eum pristinæ fortunæ. Mortales ipso suo uocabu

lo suæ conditionis admonentur. Commonefacito Lepidũ promißi. Sunt pleraq; quæ accusatiuũ geminũ admittant. Doceo te literas. Exorat te ueniam. Dedocebo te istos mores. Poposcit me mutuũ. Hic eius rei mihi admonendus es, quod in his secundum accusatiuum etiam paßiua obtinent, in alijs genitiuus manet. A me doctus es literas. Postulant me furti, postulor furti. Accusas me sacrilegij, accusor sacrilegij. A. Scio te nondum expletum. Scio animo tuo nondũ esse satisfactum. Quando enim tantus elegantiarum helluo satietur? Sed cõuiuis parcendum est, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna, inter deambulandum, id quod rationi deerit, persoluemus, nisi quid aliud censes. Ch. Fiat ex tua sententia. Agamus gratias benignitati diuinæ, deinde paulisper deambulaturi. MIDAS. Pulchre dicis. Nihil enim hoc uespertino cœlo amœnius, nihil salubrius. CHR. Petre adesdum, Tolle suo quæq; ordine, ac uinum Cyathis infunde. P. Iubésne agi gratias? CHR. Age. P. Græce mauis an Latine. Ch. Vtroq; modo. P. Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui tua ineffabili potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac uegetas, largire filijs tuis, ut aliquando tecum bibant in

regno

regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti ac præparasti uere diligentibus te. Per Iesum Christum AMEN.

Εὐχαριστῶ μὲν σοι πάτερ οὐράνιε, ὁ τῇ ἀῤῥήτῳ
σου δυνάμει κτίσας τὰ πάντα, ὁ τῇ ἀνεξερευνήτῳ
σου σοφίᾳ κυβερνῶν ἅπαξάπαντα, ὁ τῇ ἀνεξαν-
τλήτῳ σου χρηστότητι, ἕκαστα τρεφόμενος τε καὶ
αὐξάνων χαρίζου τοῖς υἱοῖς σου, τὸ μετά σου πο-
τὲ πιεῖν, τὸ τῆς ἀθανασίας νέκταρ, ὃ ὑπέσχου καὶ
ἡτοίμασας, τοῖς ἀληθῶς ἀγαπῶσί σε, διὰ ἰησοῦ
χριστοῦ τοῦ υἱοῦ σου, τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ μετὰ σοῦ
ζῶντος καὶ βασιλεύοντος, ἐν ἑνότητι τοῦ πνεύ-
ματος ἁγίου, εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Ch. Habeo uobis hospites candidissimi gratiã, qui ad hoc conuiuiolum uenire dignati sitis. Oro æqui boniq; consulatis. Con. Nos uicissim gratias referre uolumus, non tantum habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potius surgamus & expatiemur. A. Ducamus nobiscum uirgines, nam eo minus molesta erit deambulatio. Ch. Recte sentis. Vtrũ mauis nostris in hortis more poëtico reptare, an foris ad amnem expatiari? A. Habent quidẽ horti tui amœnitatis permultum, uerũ eam uoluptatem matutinis deambulationibus serua. At sole inclinato, amnium

to, amnium

to, amnium aſpectus oculos mirum in modum iuuat. Ch. Antecede igitur Auguſtine, ut poëta dignũ eſt, ego latus tuum claudam. A. Bone deus quantum co mitum, quantam pompam nobiſcum ducimus. Dici non poteſt Chriſtiane quãtum mihi placeam. Satra= pes mihi uideor. Ch. Age nunc promiſſum præſta. Solue quod recepiſti. A. Quid me potiſſimum uis dicere? Ch. Ego quondam in Pollionis oratione cũ multa, tũ illud in primis ſolebã admirari, quod tã fa= cile, tã crebro, tam uenuſte orationem uerteret, quæ res nõ modo ſingularis ingenij, uerũetiã multi uſus mihi uidetur. A. Haud iniuria iſtud in Pollione ad= miratus es Chriſtiane. Ille enim tũ hac in re diuinam quandam uim obtinet, quam quidem illi cum ingenij dexteritate quadã, tum plurimo & dicendi & legen di & ſcribendi uſu cõtigiſſe, opinor, potius quam ra tione aliqua, aut præceptione. Ch. At ego rationẽ aliquã iſtius rei ſi fieri poteſt, expecto. A. Ita ut di= xi, res habet. Verũ quia te tãtopere uideo uelle, quo= ad potero morẽ geram, eásq; ratiũculas, quas in Pol lionis orationibus mihi uiſus ſum animaduertere, ut potero, reddam. Ch. Age percupio.

BREVIS DE COPIA. PRAECEPTIO.

AVG. Accingor. Principio res ipſa puris, electis

ac Lati=

ac Latinis uerbis efferenda est, quod ipsum posse, nõ mediocris artificis est. Sũt enim permulti, qui nescio quo modo copiã & uarietatem orationis affectant, quum ne semel quidem rem poßint apte explicare. Isti tanquã semel balbutisse sit parum, balbutiem suã alijs atq; alijs modis reddunt balbiorem, tanquã ipsi secum certamen susceperint, ut quã barbarißime dici poßit, dicant. Itaq; inepti synonyma quædam congerunt, adeo interdum inter se dißidentia, ut ipsa mirentur, in quo pacto cõuenerint. Quid enim absurdius, quàm hominem pãnosum, cui nec unà quidem, quam sine pudore poßit induere, sit uestis, eum tamẽ subinde suos pãnos mutare ac mendicitatem suã pro opibus ostentare? At nihilominus ridiculi uidentur isti uarietatis affectatores, qui quum barbare semel dixerint, repetũt idem multo barbarius, demum iterum atq; iterũ indoctius. Hoc est, non oratione, sed solœcismis abundare. In primis igitur (ut dixi) res ipsa aptis atque electis uerbis est explicãda. Deinde mutatorijs uerbis utendum, si qua quæ idem efficiant, reperiãtur. reperiuntur enim permulta. Demum ubi propria deficient, translaticijs erit utendũ, si modo uerecunda sit translatio. Ea quoque ubi decrũt, si per actiua dixisti, ad paßiua reuertendũ erit, quæ nobis totidem orationes reddunt, quot ex actiuis con-

uis con=

uis constabant. Postea uerba, si licebit, aut in nomina uerbalia, aut in participia commutabimus. Postremo, ubi modo aduerbia in nomina, modo nomina in alias, atque alias parteis commutauerimus, per contrarium dicemus, Aut affirmatiuã orationem in negatiuã commutemus, aut retrorsum, aut certe, quod pronũciatiue dictum, per interrogationẽ efferamus. Nunc exempli causa hanc sententiã sumamus.

LITERAE TVAE MAGNOPERE ME DELECTARVNT.

LITERAE TVAE.

Epistola, Epistolium, Scripta, Schedæ, Literæ.

MAGNOPERE.

Mirum in modum, miris modis, maiorem in modũ, supra modum, plurimũ, non mediocriter, summopere, maximopere.

ME.

Animum meum, pectus meum, oculos meos, cor meum, ERASMVM.

DELECTARVNT.

Voluptate affecerunt, recreauerunt, exhilararunt, uoluptati fuerunt, oblectarunt, uoluptate perfuderunt, mellitißimæ fuerunt, iucundißimæ &c. Habes materiam, tuum erit componere. Experiamur

igitur,

igitur, faciamus periculum. CHR. *Tuæ literæ magnopere me delectarunt. Tua epistola mirifice nos exhilarauit.* AVGV. *Verte actiuum in paßiuum, alia erit facies. Vt, dici non poßit, quàm tuis sim scriptis exhilaratus.*

Item per alia uerba idem efficientia.

Tuis ex literis incredibilem cepi uoluptatem. Ex epistola celsitudinis tuæ plurimũ uoluptatis accepi. Non mediocrem lætitiam tua mihi scripta attulerũt. Gaudio tua me scripta, quantus eram, perfuderunt. Hic non ita liceret mutare in paßiua, nisi in illo postremo, perfusus gaudio, quod usitate dicitur. Capiebatur à me uoluptas, allatum est gaudium, non perinde usitate dixeris.

PER AFFICIO.

Singulari uoluptate literæ tuæ me affecerunt.

MVTA IN PASSIVVM.

Tuis scriptis incredibili sum affectus uoluptate. Nõ parum gaudiorum tuum nobis epistolium peperit.

PER SVM ET NOMINA ADIECTIVA.

Tuæ mihi literæ multis modis iucundißimæ fuerunt. Fuit tua illa epistola sanè quàm gratißima.

PER NOMINA SVBSTANTIVA.

Ineffabili uoluptati tua nobis epistola fuit.

Incredibili

Incredibili iucunditati fuerunt tuæ literæ.

COMMVTA IN NEGATIONEM.

Tua ſcripta non mediocri lætitiæ fuere. Nihil in uita tuis literis accidit iucundius. Quanquàm hac ratione aliquoties iam uſi ſumus, quæ non eſt negligenter prætereũda. Nam quoties multum, plurimũ, ſingulare ſignificare uolumus, per contrarium uerbum idem efficiemus. Vt, uehementer te amat Henricus. Haud uulgariter te amat. Multum me iuuat uinum, haud parũ iuuat. Eſt uir ſingulari ingenio. Eſt uir ingenio non uulgari. Eſt homo doctrina admiranda. Eſt homo non contemnenda doctrina. Thomas eſt ſummo apud ſuos loco natus. Non infimo loco natus. Auguſtinus eloquentißimus fuit. Nõ ineloquẽs fuit. Carneades orator fuit nobilis. Non ignobilis, non obſcurus. Et id genus ſimilia, quæ nunquàm non uſu ueniunt. Sed admonuiſſe rem clarißimam ſatis eſt. Nec te lateat, bifariã nos huiusmodi orationũ genere uti, modeſtiæ cauſa, præſertim ſi de nobis ipſis loquamur. Tum etiam amplificandi gratia. Nam non ingratum, pro ualde grato. Nõ uulgariter, pro ſingulariter, recte & uenuſte dicimus.

MODESTIAE CAVSA.

Ego literis meis nonnullam doctrinæ ſum opinionẽ conſequutus. Semper curaui, ut in literaria gloria

non poſtre-

pisse quàm tuas accepi. Vix crediderim, aut Scipionẽ euersa Carthagine, aut Paulum Aemilium, capto Perseo, magnificentiorem egisse triumphum, quàm ego, simul ac suauissima tua scripta tuus mihi tabellarius reddidit. Huiusmodi ex fabulis, tum ex historijs infinita possunt inueniri. E phisica uero sumũtur rerum similitudines, quarum quàm plurimarum naturas memoriter tenere necesse est. Nunc si libet in alia sententia tentemus.

NVNQVAM DVM VIVAM, TVI ERO IMMEMOR.

Semper dum uiuam tui meminero. Quoad uiuam, nunquàm me tui capiet obliuio. Prius uiuere desinam quàm tui meminisse.

PER COMPARATIONES.

Si umbram corpus poterit effugere, & hic animus tui quibit obliuisci. Tui memoriam, ne Lethæus quidem amnis poterit abolere.

PRAETEREA PER IMPOSSIBILE, AVT MORE POETICO PER CONTRARIA.

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit. Ante leues ergo &c. quæ non est multi negocij excogitare.

Verum ne immodici uideamur, hoc modo contenti simus

Aliâs si uoles, copiosius hac de re colloquemur.
CH. Ego te Augustine iam planè exhaustū putabā. Sed tu præter expectationem, nouum thesaurum indicasti, quem si pergas explicare, nox ante occupauerit, quam tibi eadem de re desint uerba.
AVG. Si ego hoc mediocri & doctrina & ingenio præsto, quantum Ciceronem ipsum ualuiße credis, qui cum Roscio histrione certaße legitur. Sed sol nos relinquit. Humescit cœlum, præstat imitari auiculas, tectoq; ac lecto nos condere. Proinde uale mi Christiane suauißime in crastinum.
CHR. Tu itidem bene ualeas Augustine omnium doctißime.

CONVIVIVM RELIGIOSVM.

ADOLPHVS, BALBVS, CORNELIVS, DVRANDVS, EVERARDVS.

A. Quum omnia nunc uernent ac rideant in agris, demiror eße qui fumosis urbibus delectentur. B. Non omnes capiuntur aspectu florum aut pratorum uernantiū, aut fontium amniúmue. Aut si capiuntur, est aliud quod magis iuuet. Ita uoluptas uoluptate, ueluti clauus clauo pellitur. A. Tu mihi fortaße fœneratores narras, aut his simillimos negociatores

auaros

uaros. B.Istos quidem, sed non solos ô bone, Imò cum his innumeros alios, usq; ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui quæstus gratia malũt in urbibus, ijsq; frequentißime uersari, dogma sequuti, nõ Pythagoricum, aut Platonicũ, sed cæci cuiusquã mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret illic esse quæstum, ubi esset populus. A.Valeãt cæci, cum suo quæstu. Nos philosophi sumus. B.Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, qd' esset discendi cupidus, & urbes haberent unde disceret, in agris esse quidẽ arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos. Ceterũ nihil loquerentur, ac perinde nihil docerent. A.Est nõnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquàm mea sententia non est muta rerum natura, sed undiquaq; loquax est, multáq; docet cõtemplantẽ, si nacta fuerit hominẽ attentũ ac docilem. Sed Socrates in eo secessu, quàm multa docet Phædrum suũ, ac uicißim ab eo discit. B.Si tales adessent aliquot, nihil esse posset amœnius rusticatione. A.Libet igitur huius rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanũ, non amplũ, sed nitide cultũ. Eò uos in crastinũ diem ad prandium uoco. B.Plures sumus. Exederemus totum prædium tuum. A.Imò totum conuiuium apponetur herbaceũ ex dapibus, ut inquit Flac

 cus, in-

cus, incmptis apparatum. Vinum ipse locus suppeditat, pepones, melones, ficos, pira, mala, nuces, ipsæ pene arbores porrigunt, quemadmodum fit in insulis fortunatis, si Luciano credimus. Accedet fortaßis è corte gallina. B. Age, nō recusamus. A. At suā quisq; umbram secū adducat, quam uolet. Ita quum sitis quattuor, æquabimus numerum musarum. B. Fiet. A. Vnum illud uos præmonitos uolo, sibi quisq; condimentum suum adferet. Ego cibos duntaxat apponam. B. Quod condimentum narras, piper, aut saccarum? A. Imò aliud uilius, sed suauius. B. Quod nam? A. Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis, cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoq; commodi rusculo meo debebitur. Verū ad quā horā libet prandere? B. Ad decimā priusquàm inualescat æstus solis. A. Curabitur.

FAMILIARIVM COLLOQVIORVM ET PRAECEPTIVNCVLAE DE COPIA,

F I N I S.

DES.

DES. ERASMI

ROTEROD. DE RATIONE studij, ad Christianum Lubecensem Epistola parænetica.

CVm te incredibili quodam ardore literarum flagrare minime dubitarem, Christiane non uulgaris amice, hortatore nihil opus esse putaui, sed eius quam ingressus esses, uiæ duce modo, ac tanquàm indice. Id quod mei officij esse iudicaui, uidelicet ut tibi homini non modo multis modis copulatißimo, uerumetiam iucundißimo, uestigia quibus ipse à puero essem ingressus cõmonstrarem. Quæ si tu pari cura accipies, atq; ego dicturus sum, futurum confido, ut neq; me monuisse, neq; te paruisse pœnituerit. Prima igitur cura sit, ut præceptorem tibi deligas quàm eruditißimum. Neq; enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus, quem simulatq; nactus eris, fac omnibus modis efficias. ut ille patris in te, tu filij uicißim in illum induas affectũ. Ad quod quidem cum ipsa honesti ratio nos debet adhortari, qđ nõ minus debeamus ijs à quibus recte uiuendi rationẽ, quàm à qbus uiuẽdi initia sumpsimus, tũ mutua

ista beneuolentia tantum ad discendũ habet momenti, ut frustra sis literatũ præceptorem habiturus, nisi habueris & amicum. Deinde ut te illi & attentum & aßiduum præbeas. Contentione enim immodica nonnunquàm obruuntur ingenia discentium. Aßiduitas uero & mediocritate sua perdurat, & quotidianis incrementis maiorem opinione aceruum accumulat. Satietate cum omnibus in rebus, tum in literis nihil perniciosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio, intermiscendi lusus, sed literales, sed literis digni, & ab his non nimis abhorrentes. Imò medijs ipsis studijs perpetua quædã uoluptas est intermiscenda, ut ludum potius discendi, quàm laborem existimemus. Nihil enim perdiu fieri potest, quod non agentem aliqua uoluptate remoretur. Optima quæq; statim ac primum disce. Extremæ est dementiæ discere dediscẽda. Quod in curando stomacho solent præcipere medici, idẽ tibi in ingenijs seruandum puta. Caue aut noxio aut immodico cibo ingenium obruas, utroq; enim iuxta offenditur Ebrardum Catholicon, Brachylogum cæterosq; id genus, quos percẽsere neq; possum, neque operæprecium est, ijs relinquito, quos barbariem immenso labore discere iuuat. Initio, nõ quàm multa, sed quàm bona percipias, refert. Sed iam rationẽ accipe, qua

poßis

poßis non solum rectius, sed etiam facilius discere. Hoc enim in homine artifice præstare solet artis ratio, ut tãtundem operis, quum rectius, expeditiusq́;, tum leuius etiã efficiat. Diem tibi in operas partire. Id quod & a Plinio Secundo, & à Pio pontifice Maximo, uiris omnium memoria præstantißimis, factitatum legimus. Principio quod caput est, præceptorem interpretantem, non attentus modo, sed & auidus auscultato. Non contentus impigre sequi dissērentem, aliquoties præuolare cõtende. Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fidelißimis uocum custodibus. Quibus rursus ita confidas caue, ut diues ille ridiculus apud Senecã, qui sic animũ induxerat, ut se tenere crederet, quicquid seruorum quisquàm meminisset. Noli committere, ut codices habeas eruditos, ipse ineruditus. Audita ne effluant, aut apud te, aut cum alijs retracta. Nec his cõtentus, aliquam temporis partem tacitæ cogitationi tribuere memento, quàm unam D. Aurelius, tum ingenio, tum memoriæ in primis conducere scripsit. Conflictatio quoque & tanquàm palæstra ingeniorum, neruos animi præcipue tum ostendit, tum excitat, tum adauget. Nec sciscitari, si quid dubitas, nec castigari, si quid errabis, sit pudor. Nocturnas lucubratiões, atque intempestiua studia fugito, nam &

ingenium extinguunt, & ualetudinem uehementer offendũt. Aurora Musis amica est, apta studijs. Pransus aut lude, aut deambula, aut hilarius confabulare. Quid quod inter ista quoq; studijs locus esse potest? Cibi nõ quantum libidini, sed quantum ualetudini satis sit sumito. Sub cœnam paulisper inambula, cœnatus idem facito. Sub somnũ exquisiti quippiã ac dignum memoria legito. De eo cogitantẽ sopor opprimat, id experrectus à te ipso reposcas. Plinianũ illud semper animo insideat tuo. Omne perire tẽpus, quod studio non impertias. Cogita iuuenta nihil esse fugacius, quæ ubi auolarit semel, redit nunquàm. Sed iam hortator esse incipio, indicem pollicitus. Tu suauißime Christiane hãc formã, aut si quã poteris meliorẽ sequere, ac bene uale.

QVIS SIT MODVS REPETENDAE LECTIONIS.

QVibusdam prima ac unica ferè cura est, statim ad uerbum ediscere. quod equidem non probo. est enim tum magni laboris, tũ fructus propè nullius. Quorsum enim attinet, psitaci more, uerba non intellecta reddere? Commodiorem igitur. N. uiam accipe. Lectionem quidem auditã continuo relege, ita ut uniuersam sententiã paulo altius animo infigas. Deinde a calce rursus ad caput redibis, & singula uerba excutere incipies, ea dũtaxat inquirẽs, quæ ad Grammaticam curam attinent. Videlicet, si quod uerbum obscuræ aut ancipitis deriuationis, si heteroclitæ cõiugationis, quod supinum, quod præteritum faciat, quos habeat maiores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet. & huiusmodi nõnulla. Hoc ubi egeris, rursum de integro percurrito, ea iam potißimum inquirens, quæ ad artificium rhetoricũ spectant. Si quid uenustius, si quid elegantius, si quid cõcinnius dictum uidebitur, annotabis indice aut asterisco apposito. Verborum compositionem inspicies,

orationis

orationis decora ſcrutabere. Authoris conſilium indagabis, qua quicq; ratiōe dixerit. Vbi quid te delectauerit uehemētius, caue præter caſam, quod aiūt, fugias. Fige pedem, ac abs te ipſo rationem exige, quare tantopere ſis ea oratione delectatus, cur non ex cæteris quoque parem ceperis uoluptatem. Inuenies te acumine, aut exornatiōe aliqua oratoria, aut compoſitiōis harmonia, aut, ne omnia perſequar, ſimili quapiam cauſa commotum fuiſſe. Quod ſi aliquod adagium, ſi qua ſententia, ſi quod prouerbium uetus, ſi qua hiſtoria, ſi qua fabula, ſi qua ſimilitudo non inepta, ſi quid breuiter, acute aut alioqui ingenioſe dictum eſſe uidebitur, id tanquàm theſaurum quendam animo diligenter reponendum ducito ad uſum & ad imitationem. His diligenter curatis, ne pigeat quarto iterare. Nam hoc habent eruditorum uirorum, ſummo ingenio, ſummis uigilijs elucubrata ſcripta, ut milies relecta, magis magiſq; placeant, ſemperq; admiratori ſuo nouum miraculum oſtendant. Id quod tibi in tabula tua ſæpenumero, nec ſine cauſa laudata, euenire ſolet, quod antea non animaduertiſſes. Idem tibi multo amplius in bonis authoribus eueniet. Releges igitur quarto, ac quæ ad philoſophiā, maxime uero Ethicen referri poſſe uideantur. Circumſpicies, ſi quod exemplum, quod mo

ribus

ribus accommodari poßit. Quid autem est, ex quo non, uel exemplum uiuendi, uel imago quædam, uel occasio sumi queat? Nam in aliorum pulchre ac turpiter factis, quid deceat, quid nõ, iuxta uidemus. Hæc si facies, iam uel edidiceris, quanquàm aliud egisti. Tum demum, si libet, ad ediscendi laborem accedito, qui tum aut nullus erit, aut certe perquàm exiguus. Quid deinde? Restat, ut cum studiosis congrediaris, tuas annotationes in medium proferas, uicißimq; illorũ audias, alia laudabis, alia reprehendes, tua partim defendes, partim castigari permittes. Postremo, quod in alijs laudasti, tuis in scriptis mutare conaberis.

VTRVM SECRETA STVDIA PLVS CONDVCANT, QVAM CONFLICTATIO ILLA, AVT CONTRA.

SECRETA studia à doctis laudantur, at itã, ut postea è latebris in harenam prodeamus uiriumq; nostrarum periculum faciamus. Id quod sapientissime à

ſime à Socrate eſt dictum. Experiamur utrum partus ingeniorum uitales ſint, nimirum obſtetricum induſtriam imitati. Quare alternatim utriſq; utetur, qui non uulgariter uolet euadere doctus. Vale.

FAMILIARIVM COLLOQVIOrum, cum nonnullis præceptis de ratione ſtudij, & breui de Copia tractatu ERASMI ROTEROD.

FINIS.

ARGENTORATI in ædibus Ioannis Knoblouchij, menſe Iulio, Anno M. D. XXII

A a b c d e f g h i k l m n o p q r

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y

A a b c d e f g h i k l m n o p q r s t

Hesiodus
Adde parvum parvo parvum superat de pusillo
Fiet tandem hoc magnum nimis infelix pollet egestas
lege Pli: li: 9: ca: 7:

De Astiago Pli: li: 9: cap 8:

Quint: 11: Memoria sunt alia oia ex colendo angere:

Cicero: in Cato: memoria minuitur exerceas eam minuit

Pythagoreor[um] more exercendi memoriae gr[ati]a quod quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi.

Quint. li. 1: memoria praecipue firmatur atque alitur exercitatione

Cic: Ad Heren: li. 3. In memoriis minimum valet doctrina nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur

Balnea, vina, venus, sustentant corpora ... Et perdunt corpus balnea, vina, venus

Bibere more Graecor[um] — Decepit in ... Plaus ...
Bibere in modum Aesopi

Missa triumphalem non tangunt fulmina lau[rum]

Mutare solum quod edem ... exilium ...
Nam ... multi sunt ...

Aberat quam verti simus pictis ...
A. Crispinus

Juve: Terra malos homines et noxia gramina nutrit

Terna genera hominum posuit Hesiodus	Primum	quod sciunt quae sint agenda vitandaque et est bonum.
	Secundum	quod nesciunt quae sint agenda vitandaque sed ...
	Tertium	quod quoque ignarus bonum et bonum et ... non ... est pessimum

Prover:
Ad digitum crepitum obedire.
Thessala mulier et venefica, incantatrix.

Gloria

Regula Lydia. Plumbea

Clister [illegible]

D. Hieronimus Epla 6 pag 38

Quod vetat redeundo ...

Paedagogia ...

Aeneas Glossanus

Equus Segianus

Complicatior Vola ...

Contractior Vola ...

Vola ...

Aglaia Thallage Eufrosine sunt tres gratie

[illegible] 11,50